3

GRATIANI SEVERINI LIPINSKI,
Nobil. Prutheni,

AD

VINCENTIUM CONSTANTINUM STARODOBRSKI, Nob. Polon.

EPISTOLA,

SICILIMENTA QUÆDAM

In

Celsissimi olim Principis,

Illustrissimi, Reverendissimi & Excellentissimi Domini,

DOMINI

ANDREÆ CHRYSOSTOMI

in Zaluskie ZALUSKI,

Episcopi Varmiensis, Terrarum Prussiæ Præsidis & Supremi Regni Poloniæ Cancellarii

EPISTOLARUM HISTORICO-FAMILIARIUM


LOCA NONNULLA,

Terras Prussiæ, speciatim Civitatem Gedanensem afficientia,

EXHIBENS.

ANNO M DCC XII.

GENEROSE DOMINE,
FRATER AMANTISSIME!



Um nuper familiaris inter Nos institueretur sermo, plura obversabantur animis Tuam & meam concernentia Patriam, de quibus pro ea, quam hactenus sanctè coluimus, confidentia amicè & sincerè conferre placuerat. Observavimus ex retrô actorum cum recentioribus & quæ hodie aguntur collatione, quantum utriusq; Patriæ Nostræ Cives à suis Majoribus eorumq; in servanda & tuenda libertatis juriumq; integritate solicitâ curâ deflexerint. Revocabas in memoriam, quàm verè & ingenuè Magnus quondam in Republica Senator DUX CZARTORYCKI, *Episcopus olim Cujaviensis in Oratione ad confœderatum sub Swiderskio Exercitum habitâ suaserit:* Expedire omninò sinceræ Majorum Nostrorum præmonitionis meminisse: Ob violenta Consilia, interna odia, privata commoda, periit Hungaria; Cave Tibi Polonia! (a) *Dolebas posse de charissima Patria ad præsens (solâ voce* Germania *mutatâ) dici, quæ olim de Germania motibus & discordiarum tempestatibus graviter concussa dicebantur:*

Cùm peritura suô fureret { Germania / jam Lechia } ferrô,
Ipsa latro, bustumque sibi, fœdumque cadaver,

Putabas intereà incidisse nos jam in illa tempora, ubi ad vetera instituta revocare quæ jampridem corruptis moribus fuerunt ludibrio inanis esset labor, verèq; ue nunc obtinere illud Poëtæ & Comici:

Laudamus veteres, sed nostris vivimus annis. (b)
Interim mores mali
Quasi herba irrigua succreverunt uberrimè
Neque quicquam hic vile nunc est, nisi mores mali,
Eorum licet jam metere messem maximam. (c)

(a) *Vespasian. Kochowski* Annal. Polon. Climact. 2. ad Ann. 1661. lib. 7. pag. 532. (b) *Ovid.* (c) *Plaut. in* Trinum. Act. 1. Scen. 1.

Ad me quod attinet, nosti quàm parcus fuerim in recendis Patriam meam graviter & ad interitum affligentibus malis, cùm existimarem, optimè miserias ferre, qui eas abscondunt & tacent. Ast

Tempus omnia Posteris dicit. Id loquax est
Etiam non sciscitantibus dicit quod novit. (d)

Tandem ad vota, cùm aliud præsens rerum status, qui unâ voce omnium gemitur neq; verbô cujusquam sublevatur (e) *malorum efficax remedium non suppeditet, deventum est, quorum hæc fuit summa, ut, qui omnia moderatur, DEUS, communibus opem ferat calamitatibus; mentemq; Patriæ, Libertatis, Jurium avitorum, & Posteritatis, quam nemo cogitabit prudenter, nisi qui Majores piâ imitatione reverebitur* (f) *amantem largiatur universis, iis verò quorum Divinam juxta assistentiam consilio & operis publica res redintegranda, sapientem, concordem, fortem & constantem det animum, ne ubi extinguere incendium velle videntur addant oleum, nec unquam sint immemores ejus, quod de Seleucensibus olim Historicus:* Quoties concordes agunt, spernitur Parthus. Ubi dissensêre dum sibi quisq; contra æmulos subsidium vocant, accitus in partem adversùm omnes valescit. (g) *Post hæc & alia præmissa cùm editarum haud ita pridem in lucem, magnô publici boni commodô, **Celsissimi** olim **Principis**, **Illustrissimi**, **Reverendissimi & Excellentissimi Domini**, **Dni. ANDREÆ CHRYSOSTOMI in Zaluskie ZALUSKI**, **Episcopi Varmiensis**, **Terrarum Prussiæ Præsidis, & Supremi Regni Poloniæ Cancellarii**, Epistolarum Historico-Familiarium mentio facta esset, non obscurè innuebas, reperii in illis nonnulla, quæ, quantum* res Prussorum, *speciatim etiam* Civitatis Gedanensis, *concernit, ad removenda, quæ subnasci non satis informatis possent, dubia majorem dilucidationem & supplementum non respuerent, desiderabasq;, ut si quæ hunc in finem suppeterent, ea colligere ac Tecum communicare haud gravarer. Quamvis verò tenuitatis meæ & quàm arduum ac periculosæ plenum opus sit alea de*

(d) *vid. Hug. Grot.* in Excerpt. Stobæi de Rer. Natura Tit. II.
(e) *Cicer.* ad Attic. Lib. 2. Epist. 18. (f) *Joan. Henric. Bœcler* Differt. de Eloquentia Viri Civil. p. m. 101. Tom. I. Differtat. Academ. in 4to.
(g) *Tacit.* Annal. VI, cap. 42. v. 2.

de his talibus sic dicere aut scribere, ut omnibus placeas, ***optimè mihi*** *sim conscius, peccare tamen in jura familiaritatis observata* ***ad præsens*** *& observanda imposterum non assurgendo desideriis* ***nolui, præprimis*** *cùm innocens omninò nec ulli justa subjectum censeri* ***debeat reprehensioni*** *ea adduxisse & revocasse in memoriam, quæ non privati* ***alicujus Autoris,*** *sed publicorum Instrumentorum verbis concepta &* ***expressa in*** *Castris & Archivis extant & leguntur. Sit igitur*

SICILIMENTUM

I.

Ad Tom. 1. Part. 1. Epist. 16. pag. 91. verb. Epistolam Nobilitatum Vestrarum prægrandi Sigillo, hactenus nondum mihi viso, munitam. *&c.*

C***Onstat ex Historia Rerum Prutbenicarum, Civitatem*** *Gedanensem iis jam temporibus, quibus Crucigeri Terris Prussiæ imperabant, Sigillis diversis interq; ea Magno Sigillo usam fuisse. Sic legimus in solenni illo* Ao. 1440 Elbingæ *habito congressu, in quo inter Militares, Nobiles, & Civitates totius Prussiæ de fœdere ad vim Crucigerorum injustam undecunq; propulsandam constituendo deliberatum, superq; Gravaminibus Magistro & Ordini exponendis conventum, inter alia placuisse,* ut in Conventu Generali Dominica Judica dicti Anni in Mariæ Insula habendo Confœderationis Capita in scripturam redacta quælibet Civitas Sigillo suo Magno communiret, *testaturq; Historia* Instrumento Confœderationis memoratæ ab Internunciis Civitatum ex plena potestate, consensu, jussu, & commissione Suorum Seniorum, Scabinorum, Civium, Incolarum, & totius Communitatis, Sigilla Civitatum Magna appensa fuisse, *prout videre est apud Caspar. Schütz.* Histor. Rer. Prussicarum Lib. 4. fol. 138 b. & fol. 141. *Post excussum Crucigerorum jugum cùm Terra Prussia* benevolâ & spontaneâ deditione Juribus suis semper salvis Anno 1454. *Divum Casimirum Regem pro unico justo & legitimo Domino suo suscepissent ac acceptassent, Civitas Gedanensis in usu antiquo Sigillorum speciali Privilegiô Ejusdem Serenissimi Regis Casimiri* Gedani

dani fer. 4ta post Ascensionem Domini Anno 1457. *dato, conservata fuit sequentibus verba:* Damus & concedimus Præ-Consulibus & Consulibus, Scabinis totique Communitati Civitatis Nostræ Gedanensis, quòd cerâ rubri coloris cum ejusdem Civitatis Sigillo, Secreto, & Signeto in omnibus Negotiis, Literis & Privilegiis nunc & perpetuis temporibus uti possint; *Quó locó per* Sigillum *intelligitur* Sigillum Magnum *cum inscriptione:* Sigillum Burgensium Civitatis Dantzke, *quó, ut suprà dictum, Confœderationis Instrumentum signatum fuit, quoq; sicuti subsecutis temporibus omnia Acta & Expeditiones literaria ab omnibus Civitatis Ordinibus conjunctim suscepta & facta subsignari debuerunt, si fidem mereri vellent Ordinum consensu acta & expedita fuisse.* Vid. Recess. Commissionis Regiæ sub Reg. Sigism. Augusto in Civitat. Gedan. A. 1568. fol. 182. b. ibique relatas Literas Internunciorum Gedanensium ad Magistratum Lublinô d. 25. Maji Anno 1569. expeditas: *Ita in hodiernam adhuc diem Litera & Instrumenta alia universorum trium Ordinum nomine expedita muniuntur. Per* Secretum *verò designatur* Sigillum navis formam impressum habens, *cum inscriptione*, Secretum Civitatis Dantzke, *quod Obligationibus cameræ pecuniarum auxiliarium subapprimitur, & quo Certificationes Maritima omniaq; Documenta alia extrà Regnum Poloniæ expedienda roborantur. Deniq;* per Signetum Sigillum *quod in custodia PræConsulis Præsidis asservatur*, cum gemina cruce coronata & duobus leonibus *impressis inscriptionem habens:* Signetum Civitatis Danzik, *quó omnes Literæ Magistratus, Actaq; & Instrumenta intra Regnum expedienda signantur. Atq; hæc sunt, ad quæ Magistratus Gedanensis* Anno 1662. *cùm Sigillum hoc magnum ejusq; usus à nonnullis Civitati malè cupientibus in dubium vocaretur, in humillima Informationis* ad Serenissimum Regem Joannem Casimirum *Literis* die 12. Junii *expeditis provocavit:* Alterum, *inquiens*, quod ad benignissimas aures Regias delatum Nobis intenditur, est de inusitato Sigillo sculpturâ diversâ formâque majori, quàm quó alioquin utimur, in usum nuper deducto. Meritò sane dolemus, diversis nos appeti carpique inculpationibus, nihil tale promeritos: Sed in hac penè est ut gratulemur nobis, cùm ex ea Sinceritas Nostra clariori luce enitescat. Sigillum enim illud majus, cui forma navis impressa est,

eft, in ufu fuit publico ac perpetuo à tempore non tantùm incorporationis, fed etiam ulteriori, adeò ut ejus non extet memoria, ad hunc ufque diem, quoties nempe Literæ aliæve Scripturæ nomine trium iftius Civitatis Ordinum expediuntur. De quo illuftriffimis Regni Cancellariis & antehac femper conftitit, & nunc quoque haud dubiè conftabit. Nec dubitamus quin adferventur in Archivis Cancellariæ Regiæ Literæ ac Supplicationes diverfæ ab annis centum & amplius pro rerum exigentia nomine trium Civitatis Ordinum humillimè transmiffæ aut infinuatæ, eodemque illó figilló infignitæ. Teftabuntur id quoque infcriptiones obligatoriæ, nomine Eorundem Ordinum Proceribus aliisque Reipublicæ Civibus fuper pecunia in ufus Civitatis fub fœnore mutuò accepta extraditæ. Invidia itaque, cùm verum crimen nullum reperiret, neque tamen quiefcere poffet, ad comminifcendi ac confingendi neceffitatem defcendit, magnó integritatis atque innocentiæ noftræ argumentó.

II.

Ad pag. 180. feqq. Puncta propofita Sacræ Regiæ Majeftati contra Civitatem Gedanenfem.

Quod commune Civitatum, maximè majorum, fatum effe folet, ut invida malè cupientium nec quantum publicæ rei interfit florentes habere Civitates affequi valentium aut volentium, expofitas fe fentiant voluntati, idem Civitas Gedanenfis fapiffimè, nec leviter fub tempus Comitiorum Coronationis Sereniffimi *olim* Regis Michaelis Anno 1669. Menfe Octobris *celebratorum, experiri debuit. Poftquàm enim per Internuncios fuos Cracoviam ablegatos, more conftanter receptó & obfervató, apud Sacr. Reg. Majeftatem in ipfis gloriofi Regiminis primordiis Confirmationem Jurium tam generalem, quam nonnullorum fpecialem, humillimis inftantiis expeteret, non modò per puncta hic* à pag. 180. ad 184. *recenfita (quæ Henrici Mulleri tunc temporis Terrarum Pruffiæ Fifcalis calamo expreffa funt, reliquis, quæ fpeciem Refponfionum ad eadem puncta fubnotatarum præ fe ferunt, Generofum olim Joannem Tanski, Inftigatorem Regni, Autorem agnofcentibus) moveri difficultates, benigniffimoq; Sacræ Regiæ Majeftatis Animo obrepi fenfit, fed & aliorum finiftris judiciis Jura Civi-*

tatis

tatis in dubium vocari, eorumq; desideratam confirmationem conquisitis malè prætextibus perplexam reddi cognovit. Quid in hac insperata Confirmationis Regiæ à Serenissimis Antecessoribus Regibus Poloniæ non interruptô ordine clementissimè indulta si non denegatione expressa, plurimis saltem implicata præjudiciosissimarum clausularum interpretationumq; hactenus inauditarum adinventionibus dilatione Civitas egerit, quoq; remedio adversus malevolorum insidias ac improbos ausus usa sit, testantur devota humillima supplicationis ad Sacram Regiam Majestatem universorum Civitatis Ordinum nomine oblata Literæ ejus, qui sequitur, tenoris:

Serenissime ac Potentissime REX & Domine, Domine Clementissime,

Quâ ex sensu publicæ felicitatis Sacr. Regiam Majestatem Vestram, Dominum Nostrum Clementissimum, post discussam miserabilis orbitatis formidolosam tempestatem velut novum surgentem Solem exultante animorum excepimus lætitiâ, eâdem nunc meritò, imo plausu quantum possunt maximô, Sacram Regiam Majestatem Vestram in summa jam auge Majestatis Suæ collocatam inclinati demissiq; colunt ac venerantur Ordines Civitatis, amplissimâ certissimâq; spe ac fiduciâ completi, ventura nunc tandem feliciter sibi à tàm benigna luce ac radio desiderata diu dolorum solatia ac fomenta, toleratæque longæ atq; acerbæ noctis haud immerita præmia. In isthac lætifica spe ac exspectatione, effusis in gaudia Ordinibus Civitatis acerbius nihil nihilq; supervenire tristius potest, quàm cùm vident, ipsô Regii Regiminis Auspiciô almum hoc nitidumq; sidus objectis nubeculis & umbris obscurari repente & obrui, & tantùm non sibi eripi velle. Quid enim aliud nobis dicendum, postquam publicis Nuntiis allatum, Jura, Privilegia, Beneficia, Possessiones, Indultaq; Civitatis istius omnia tàm antiqva Progenitorum nostrorum fide, virtute & sangvine parta, nobisq; posteris suis fide & conscientiâ haud pejoribus hæreditaria possessione per manus tradita, quàm quæ à recentioribus Regibus, tum verò novissimè benignâ Serenissimi Antecessoris Sacr. Reg. Majest. Vestræ indulgentiâ in proemium ad extremum servatæ fidelitatis Civitati collata, atq; proindè fortunis omnibus ac ipso Nobis sangvine cariora sunt, S. R. M. Vestram

Vestram non illô hactenus à Serenissimis Regibus constantèr observatô more & institutô datô desuper singulari Diplomate confirmare, sed tanquam dubia & suspecta aut Majestati etiam Regiæ derogatoria praviè, nescimus ad quod, pensiculatius examen & censuram, aut quô fine, revocata velle. Qua res uti exemplô nova, ita Juribus & Privilegiis Civitatis istius quam maximè prajudiciosa, dici non potest, Serenissime Rex, quantum affligat crucietq; animos Ordinum Civitatis. Facilè enim animadvertunt, conclamata brevi fore Jura sua, imò actum de Civitate universa, si, quæ fundamenta ejus & ornamenta sunt, Jura & Privilegia, solenni & æterna Divorum Antecessorum formulâ tam sanctè firmata, subire censuras novæq; diquisitionis interpretationem aut restrictionem arbitrariam admittere cogantur. . Cui tam tristi miserabiliq; jacturæ, quâ nulla major aut funestior evenire posset vel unquam similis accidit, Civitati isti à Communitate istbac avertendæ deprecandæq; supplicant Ordines Civitatis quàm maximis possunt precibus, demississimè S. R. M. Vestram orando, dignetur clementissimè benignam Jurium Civitatis istius, fide & constantiâ sua haud malè de Republica merita, rationem habere, Juraq; & Privilegia illius omnia & singula, tàm prisca quàm recentia, quaq; jam in genere solenni Coronationis Sacramento à S. R. M. Vestra comprobata sunt, exemplô & more Serenissimorum Decessorum Suorum, porrò confirmare, rataq; ac inviolata conservare, neq; permittere, ut totô Spiritu ac devotione subjecta S. R. M. Vestra fidelis Civitas preter commeritum privetur Juribus ac Libertatibus suis, illâq; quam concepit & constanter defixam habet in summa Benignitate S. R. M. Vestræ amplissima spe ac fiduciâ odiô & invidiâ malevolorum ullâ ratione aut tempore deturbetur. Provocabit tam Illustris Benignitas S. R. M. Vestræ animos fidelissimorum subditorum Suorum ad flagrantiora fidei & devotionis obsequia, eosq; tanta Gratiæ ac Beneficij nunquam finet esse immemores; Qui, quod superest, DEUM ardentibus votis convenimus, ut S. R. M. Vestram uberrimus indies bonis cælitus cumulatam velit. Dab. Gedani, die 2. Novembr. Anno 1669.

Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ

humillimi & fideles subditi,

Præ-Consules, Consules, Scabini, Centumviri, totaque Communitas Civitatis Gedanensis.

Habuerunt præinsertæ Supplicationis Literæ exoptatum hunc effectum, ut, accedente apud Serenissimum plurimorum Senatorum & Dignitariorum Regni interpositione factisque de invaliditate & injustitia objectorum sufficientissimis remonstrationibus, Sac. Reg. Maj. non solùm Confirmationem Jurium Generalem, eódem, quó Divi Antecessores, verborum tenore, sed & inter cætera ejus quoque, quod tantis curis & moliminibus impugnabatur, videlicet à Divæ memoriæ Joanne Casimiro Rege ob benè merita & ex causa satis onerosa Civitati confirmati Juris Caduci Privilegii specialem clementissimè impertiretur, hocq; ipsó oblata contra Civitatem puncta cum reliquis nullo niti fundamento justissimè declararet. Quæ omnia ex sequentibus Confirmationum Regiarum Instrumentis luculentissimè patent.

1. Confirmatio Generalis Jurium & Privilegiorum Civitatis Gedanensis.

Michael, Dei Gratia REX Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kyoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ, Czerniechoviæque,

Cum Regum ac Principum laudes, quibus Virtutis memoria æternitati consecratur, illustriores reddantur, quandò fidelium Subditorum commoda, utilitates, honorem, ac dignitatem tuentur, eorumq; saluti & felicitati conservandæ augendæq; consulunt. Proindè Nos Michael, DEI Gratia REX Poloniæ, &c. &c. &c. Significamus præsentibus Literis Nostris Universis ac singulis, quorum interest harum notitiam habituris; Quod cùm in felici Coronatione Nostrâ omnium Incolarum Regni & Dominiorum Nostrorum Jura & Privilegia solenniter confirmaverimus, petieritque per Internuncios suos Civitas Nostra Gedanensis, ut speciali quoque Diplomate Jura atque Privilegia sua confirmaremus, & omnium libertatum immunitatumque sibi competentium firmitati auctoritate Nostrâ Regiâ prospiceremus, ipsumque juramentum à Nobis in Coronatione Nostrâ Regiâ præstitum ad Status Terrarum Nostrarum Prussiæ, & sic ad eandem Civitatem Gedanensem, pertinere declararemus: Ideo Nos cognitam perspectamque habentes singularem præfatæ Civitatis fidei constan-

constantiam, integritatem, sinceritatemq́ue, & præclara bene merendi studia Prædecessoribus Nostris Regibus Poloniæ totiq́ue Reipublicæ tàm bellorum motibus, quàm quovis alio tempore, egregiè comprobata, volentesque omninò talem illiùs virtutem & merita gratia Nostrâ compensare, & quæ ad ornamentum & incrementum ejus spectare videntur, clementer promovere, omnia ac singula Civitatis Nostræ Gedanensis Jura, Privilegia, indulta, libertates, prærogativas, immunitates & receptas consvetudines Ecclesiasticas & Seculares, sub quibuscunque verborum tenoribus & modis per Serenissimos Prædecessores Nostros Reges, Principes, Duces, Magistros quocunq́ue tempore data, concessa, emanata, & datas, concessas, emanatas atque observatas, nominatim etiam Tractatum Portorii sive Conventionem cum Serenissimo olim Stephano Rege Portorii ratione initam, & quævis alia munimenta antiqua & recentia, donationes item, inscriptiones, cautiones reversales, & qualescunque alias literas seorsim vel cum aliis conjunctim obtentas, quorum & quarum tenores hic haberi volumus pro insertis, & de verbo ad verbum expressis, in omnibus suis punctis, capitulis, clausulis, articulis, conditionibus & contentis confirmanda, roboranda, stabilienda, ratificanda, & confirmandas, roborandas, stabiliendas, ratificandas duximus & decrevimus, prout vigore præsentium confirmamus, roboramus, stabilimus, ratificamus, & de certâ scientia nostra approbamus & renovamus, illaq́ue & illas perpetua, vera, indubia & inviolabilis firmitatis robur obtinere debere statuimus, & sub juramento Nostro Regio in præfata felici Coronatione Nostra corporaliter præstito sanctè pollicemur. Quòd videlicet uti Terras Prussiæ, sic etiam Civitatem Nostram Gedanensem ita comprehensam esse volumus & declaramus, ut omnia Terrarum Prussiæ Civitatisque Gedanensis Privilegia & Jura sarta tecta remaneant, omniaque eâdem obligatione ac tàm firmiter, quàm aliis Statibus & Ordinibus Regni Poloniæ, Nos servaturos recipimus. Promittentes, cuncta illa superius memorata præfatæ Civitati Nostræ Gedanensi quomodolibet servientia, quibuscunq́ue dicantur seu appellentur nominibus, nullatenus infringere & labefactare aut imminuere, quin potiùs constanter, illæsè, & inconcussè tenere & observare, teneriq́ue & observari facere temporibus perpetuò duraturis. Et si qui defectus intervenerint, quò minus quicquam eo-

rum hactenus impletum fuerit, in toto vel in parte, vel si quid intermissum sit, id in posterum redintegrare, emendare, & realiter ac cum effectu adimplere, ita ut omnia incommoda, abusus, & difficultates, quæ contra prædicta Jura ac Privilegia quoquo modo irrepserunt, illis nec præjudicare, nec ulla ratione obesse debeant, nec contrariis Rescriptis aut Concessionibus quandocunq; impetratis vel impetrandis iisdem directè vel indirectè derogari possit, quæ quasve pro injustis vel illegitimis ac nullis semper haberi, neq; vim ullam vel validitatem eis attribui volumus, & confirmationis hujus auctoritate definimus. In quorum omnium fidem præsentes manu nostrâ subscriptas Sigillo Regni communiri jussimus. Datum Cracoviæ in Comitiis Regni Generalibus, felicis Coronationis Nostræ die IX. Novembr. Anno Domini MDCLXIX. Regni Nostri I.

2. Confirmatio Privilegii Juris Caduci Civitati Gedanensi servientis.

Michael, DEI Gratia REX Poloniæ, Magnus DUX Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ &c. &c. &c.

Significamus præsentibus Literis Nostris, quorum interest Universis & singulis. Productas esse coram Nobis Literas pergameneas, manu Serenissimi Joannis Casimiri, Regis Poloniæ, Antecessoris Nostri, subscriptas, & Sigillo Majoris Cancellariæ Regni in cera rubra expresso, in pixide verò laminea appensa contentô, obsignatas, continentes in se Privilegium Juris Caduci Civitati Nostræ Gedanensi benignè collatum, sanas, salvas, illæsas omniq; suspicionis notâ carentes, supplicatumque Nobis esse humillimè per complures Senatores, Dignitarios & Consiliarios Nostros ad præsentem Conventum Regni Generalem congregatos nomine & pro parte Nobilis Magistratus Gedanensis, quatenus hoc idem Privilegium approbare & confirmare dignaremur, quarum literarum tenor sequitur, estque talis: Johannes Casimirus, Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Czernichoviæq;, nec non Svecorum, Gothorum, Vandalorumq; hereditarius Rex. Significamus præsentibus Litteris Nostris quorum interest Uni-

Universis & singulis. Regij culminis decus in eo consistit, ut subditi fideles & boni Reipublicæ Cives non tantùm præsidium ac securitatem in suprema Majestatis tutela, verùm etiam in benignitate ac Gratia rerum afflictarum solatia inveniant, maximè autem ut illi, qui notabilibus obsequiis ac eminentiori aliqua virtute præclarè sunt meriti, præmiis insignioribus vicissim condecorentur, quò & alij ad æquè bene merendum excitari possint. Quandoquidem ergo Civitas Nostra Gedanensis non solùm retroactis temporibus intemerata constantia ac fidelissima subjectionis Serenissimis Prædecessoribus Nostris Nobisq; ipsis perpetuò præstita multis egregiisq; documentis inclaruit, verùm etiam in hoc bello temporibus Nostris Regnique ac Ditionum Nostrarum difficillimis ac penè deploratis spes hostium circa solam illam Civitatem hærentes verâ solidaq; virtute perfregit, & ut extaret toto Orbe exemplum pietatis, fidei, ac fortitudinis inviolabilis, atque inconcussa, fortunas suas omnes publicas & privatas retundendis hostilibus insultibus & divertendis conatibus fortiter alacriterq; impendit, inq; tam honesto & glorioso proposito adhuc firma & immota persistit: Ideo Nos ad curam Nostram & Sollicitudinem Regiam meritò pertinere judicamus, quò & afflictiones præfatæ Civitatis omni refoveantur solatio, & virtutis imperterrita merita exquisitis remunerationibus cohonestentur. Quia autem majora Regia illius recognitionis testimonia ad feliciora quæ propediem speramus tempora necessariò nunc sunt reservanda, ut nihilominus præfata fidelissima Civitas nostra de clementissima & benigna Nostra propensione aliquô documentô possit esse certa, Ideò Bona Caduca in eadem Civitate legitimè incidentia & provenientia, quod jam olim aliis quibusdam intra Regnum Nostrum Civitatibus pro reficiendis muris fuit indultum, Nobilibus ejusdem Civitatis Præconsulibus ac Consulibus non in Administrationem duntaxat, sed & in fruitionem absolutam ac plenariam veramque proprietatem, quæ usui totius Communitatis serviat, concedenda atque assignanda censuimus, prout vigore præsentis Privilegij Nostri concedimus atque assignamus, eamque Administrationem atq; fruitionem, quæ secundùm Serenissimi olim Regis Vladislai IV. Fratris Nostri desideratissimi atq; Nostra Rescripta ad extenuationem certarum summarum hactenus fuit temporaria, iisdem Præ-Consulibus ac Consulibus perpetuam atque æternam facimus, quodq;

in tali administratione atq; fruitione Bonorum Caducorum neq; à Fisco Nostro, neque à quovis alio, ulla ratione aut modo turbari vel inquietari debeant, in verbo Regio & tam pro Nobis, quàm pro Serenissimis Successoribus Nostris, promittimus & spondemus; Salvâ tamen illa summâ quà Generoso Petro Minocki ejusve hæredibus usq; huc ex iisdem bonis Caducis juxta Nostrum Rescriptum eidem Generoso Minockj benignè concessum restare poterit, quam præfati PræConsules & Consules ad debitas Quietationes successivè extradere tenebuntur. Præterea Nobis & Successoribus Nostris reservamus bona eorum, qui de crimine læsæ Majestatis & perduellionis adversus Nos vel Serenissimos Successores Nostros Regnumq; Poloniæ commisso verè ac legitimè fuerint convicti, vel si quæ aliæ summæ Juri Caduco ex causa Sterilitatis obnoxia summam quinquaginta millium florenorum excedunt, eæ dispositioni Nostræ Successorumq; Nostrorum subesse debebunt. Illud ad extremum Privilegio hocce Nostro cautum esse volumus, ut Jura Caduca ex causa sterilitatis non nisi post eos Civitati Nostræ Gedanensi competant, qui legitimis successoribus ad octavum usque gradum (computando juxta arborem civilem) carebunt, & si quis circa Caduci exactionem se gravatum senserit, ei liberum sit coram Judicio Ordinario Civili Gedanensi, prout hactenus fuit observatum, jure experiri, salvis ad officium Consulare, & porrò ad Nos & Judicia nostra Regia, appellationibus. In cujus rei fidem præsentes manu Nostra subscriptas Sigillo Regni communiri jussimus. Datum Gedani, die XXX. Mensis Aprilis, Anno Domini M DC LX. Regnorum Nostrorum Poloniæ XII. Sveciæ verò XIII. Anno. Joannes Casimirus Rex. Locus Sigilli Majoris Regni ad pergamenum pensilis. Stephanus Hankievvitz, Secretarius Regiæ Majestatis mppa. Nos itaq; Michael Rex intercessioni Consiliariorum Nostrorum & dicti Magistratus Gedanensis humillimæ supplicationi benignè annuentes, easdem literas Privilegij præfati Regij in omnibus ac singulis ejus punctis & articulis authoritate Nostra Regia approbandas & confirmandas esse censuimus, prout per præsentes in toto ac per omnia approbamus, confirmamus, ratificamus, innovamus, roboramus & ratihabemus. Declarantes easdem vim & robur debitæ firmitatis obtinere debere. In cujus rei fidem præsentes manu Nostra subscriptas Sigillo Regni communiri jussimus.

Datum

Datum Cracoviæ in Comitiis Generalibus felicis Coronationis Nostræ die IX. Mensis Novembris Anno Domini M DC LXIX. Regni Nostri primo Anno. Michael Rex. Locus Sigilli pensilis majoris Regni. Hieronymus Pinocci, Regiæ Majestatis Secretarius mppa.

Quoniam verò præmemoratum Privilegium Casimirianum ad Privilegium Serenissimi Regis Vladislai IV. super temporaria administratione atque fruitione bonorum Caducorum Civitati datum sese refert, expedit illud cum altero Ejusdem Serenissimi Regis ratione temporis & personarum, quando Jus Caduci locum habere debeat, Declaratorio inserere, ut constet Utrumque Serenissimum Regem ob benè merita Civitatis, & summas notabiles persolutas, ex causis Utilitatis publicæ promovendæ, non novum Jus constituisse, sed antiqvum reduxisse, & quæ aliis etiam in Polonia Civitatibus ad sublevandas necessitates, e. gr. muros reficiendos &c. concessa fuerant fidelissimæ Civitati suæ Gedanensi ad usus totius Universitatis, pro ea quâ pollebant Regia Potestate, siquidem Reges Poloniæ Jus Caducorum, quod in Prussia habebant, nunquam à se abdicarunt & ad Rempublicam transtulerunt, proindeque de eodem jure, quod etiam nullibi inter Regalia majora inalienabilia relatum est, liberè absque ullo Reipublicæ consensu disponere valuerunt, optimo jure confirmasse. Sic autem præfata Privilegia sonant:

3. Declaratiò Serenissimi Regis Vladislai IV. quòd Externi sint capaces hæreditatum in Urbe Gedanensi tàm ex testamento quàm ab intestato, & quòd hæreditates post defunctum relictæ non subjaceant Juri Caduci antè exspirationem anni & diei.

Vladislaus IV. DEI Gratia REX Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ, Czerniechoviæque, nec non Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Hæreditarius REX.

Significamus præsentibus Literis Nostris, quorum interest Universis & singulis. Quia humillimè apud Nos conquestus fuit Spectabilis Vincentius Fabricius, Syndicus Civitatis Nostræ Gedanensis,

ſis, nomine Magiſtratus ejusdem de eo, quòd cùm ab immemoriali tempore in hunc uſque diem inviolabiliter Gedani obſervatum fuiſſet, quotiescunque vel civis vel extraneus, cujuscunque ille Nationis eſſet, Gedani moreretur, bona ejus ad Fiſcum Noſtrum Regium & ad diſpoſitionem Noſtram jure caduco non devolverentur, niſi intra annum & diem certè conſtitiſſet, ea bona jure Succeſſionis naturalis nemini deberi, atque ita quivis exteri ſuccedendi in bona proximorum ſuorum cognatorum Gedani mortuorum ſive ex teſtamento ſive ab inteſtato indubitatum jus habuiſſent, dummodo intra tempus à Legibus definitum proximitatem ſuam legitimè & ſufficienter probaſſent; Quòd nihilominus reperti ſint, qui ſub prætextu donationis vel Privilegii à Nobis conceſſi bona exterorum Gedani defunctorum non exſpectatô legitimi temporis decurſu cumq́ꝫ hæredes extarent, ad quos ea bona jure Succeſſionis naturalis pertinerent, ſine more & exemplo affectare, ſibi vindicare, & tàm veros & legitimos hæredes, quàm ipſum Magiſtratum Gedanenſem, jura Civitatis ipſius pro Officij ſui debito tuentem, variis modis infeſtare, litibusq́ꝫ ac Proceſſibus moleſtis & præjudicioſis fatigare auſi fuerunt. Cùm præterea à præcipuis quibusdam Conſiliariis Noſtris relatum Nobis eſſet, & à præfato Syndico humillimè deductum, ſuprà dictum exterorum invicem intra ipſos ſuccedendi jus & juris caduci reſtrictionem jam antè Incorporationem cum Regno Poloniæ, vigore Fœderis Hanſeatici & Pactorum cum Regibus, Principibus, & Rebuspublicis Exteris reciprocorum, pro bono publico commerciorum & navigationum introductam, poſt Incorporationem à Sereniſſimis Poloniæ Regibus, inprimis à Sigiſmundo I. Anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto, die S. Mariæ Magdalenæ, & à Rege Stephano Anno milleſimo, quingenteſimo octuageſimo quinto per Privilegia expreſſa confirmatam, rebus judicatis & Decretis Regiis roboratam, uſu & praxi temporis immemorialis ſtabilitam, & à Nobis ipſis per Reſponſum Noſtrum Regium Anno milleſimo, ſexcenteſimo quadrageſimo primo abunde & clementer declaratam fuiſſe. Cùm denique iidem illi Conſiliarij Noſtri demonſtraſſent, juris illius mutationem aut labefactationem non tantùm Civibus & Incolis Gedanenſibus omnem, quam nunc habent, in exteris locis hæreditates capiendi facultatem planè ablaturam, eorundemq́ꝫ

rundemque merces ac naves periculis Retorsionum & Repressaliarum ab iis, qui se à legitimis successionibus arceri agrè passuri sunt, impetrandarum exposituram, sed & Commerciis illius Civitatis omnimodam perniciem & ruinam allaturam, non sine ingenti damno & detrimento tàm Proventuum ex Portorio Gedanensi Nostrorum Regiorum, quàm plerorumq; Regni Nostri incolarum; Atque ideò & propter præmissa omnia nomine præfati Magistratus, ut Declaratione Nostrâ Regiâ ipsis clementer subvenire dignaremur, humillimè Nobis supplicatum fuisset: Nos ad intercessionem Eorundem Consiliariorum Nostrorum, benignam habentes rationem tàm Jurium & Privilegiorum Civitatis Nostræ Gedanensis, quàm incolumitatis Commerciorum Regnicolarum Civiumq; Incolarum Gedanensium, omniaq; præjudicia, damna, & pericula tempestivè avertenda & declinanda, inhærendo suprà allegatis & deductis fundamentis, juribus & privilegiis, inprimis Responso Nostro de Anno millesimo, sexcentesimo, quadragesimo primo, eam fuisse semper & esse mentem Nostram Regiam declaramus, ut quoties de bonis jure Caduco ad Fiscum Nostrum Regium devolvendis agetur imposterum, id omninò per Fiscalem, Donatariosve Nostros, exactè observari vellemus, ut non nisi post exspirationem temporis à Legibus præfiniti ea vindicare jureq; contra nullò jure possessores & occupatores agere præsumant, utq; semper circà exspirationem temporis circumscripti inquisitio exacta & accurata instituatur & expediatur, diligenterq; indagetur, utrum eadem bona jure Successionis Naturalis alicui debeantur. Quodsi nulli neque ex testamento neque ab intestato extiterint, bonaq; ea ad Fiscum modò, quò suprà, devolutum esse apparuerit, tum demum Fiscali sive Donatariis Nostris actiones suas promovere, de eisq; jure agere licitum erit. In casu autem existentium hæredum, sive illi tempore mortis ejus, de cujus bonis agetur, in Civitate fuerint, sive post mortem aliundè, dummodò intrà tempus legitimum, advenerint, ab omni actione, prætensione, aut prosecutione caducaria abstinebunt. Quò autem ea Civitatis Nostræ Gedanensis in jure suo liquidissimo conservatio eò magis extra omnem dubitationem ponatur, utque præfatus Magistratus eò plenius & uberius beneficio benignæ hujus declarationis Nostræ gaudere ac frui possit, volumus & decernimus, ut omnia & singula, quæcunq; quovis modo

hactenus in contrarium à quoquam affectata, tentata, impetrata, obtenta & decisa fuerunt, in perpetuum pro irritis, cassatis, & annibilatis habeantur, neq; adversùs præfatum Magistratum ullô unquam tempore in præjudicium ipsorum allegari, aut ipsis aliô quovis modô obesse aut nocere possint aut debeant, prout ea Authoritate Nostra Regia, tanquàm irrita, cassamus & annibilamus. Omnibus præterea in futurum præjudiciis & affectationibus obviantes, eam quoq; mentem & sententiam Nostram esse declaramus, ut nulla in contrarium impetranda Mandata aut Citationes emanandas aut ponendas attendere præfatus Magistratus obligatus sit, sed ea & eas pro nulliter impetratis, emanatis, & positis habens, defensioni jurium suorum tutò invigilet, & à quibusvis quorumvis impetitionibus & molestationibus sub tutela & protectione Nostra Regia immunis, liber, ac securus omni tempore existat. In cujus rei fidem præsentes manu Nostra subscriptas Sigillo Regni communiri jussimus. Datum Varsaviæ die XXVI. Mensis Januarij Anno M DC XLVII. Regnorum Nostrorum Poloniæ XIV. Sveciæ vero XV. Anno

4. Privilegium Sereniſſimi Regis Vladislai IV. ſuper Adminiſtratione Caducorum.

Vladislaus IV. DEI Gratia REX Poloniæ, Magnus DUX Lithuaniæ &c. &c. &c.

Significamus præsentibus Literis Nostris, quorum interest Universis & singulis. Quia ad Clementem requisitionem Nostram Spectabiles & Famati Præ-Consules & Consules Civitatis Nostræ Gedanensis Summam triginta millium florenorum Polonicalium in usus Nostros proprios & maximè necessarios Nobis mutuò dederunt, in eoq; laudabilem totiesq; probatam Nobis inserviendi promptitudinem declararunt: Nos tam propensæ devotionis clementem rationem habentes, præfatiq; Magistratus Civitatis Nostræ Gedanensis indemnitati benignè consulentes, vigore harum Literarum & in Verbo Regio promittimus, quòd præfatam summam triginta millium florenorum Polonicalium intrà annum à data præsentium computandum supra dicto Magistratui plenè & sufficienter reddemus & persolvemus, reddendamq; & persolvendam curabimus.

Quodsi

Quodsi talis solutio intra præfinitum tempus à Nobis aliquô casu non fiat, volumus ac pro Nobis & Successoribus Nostris concedimus, ut supradictus Magistratus suprà memoratam Summam ex bonis Caducis in Civitate Nostra Gedanensi ad Fiscum & dispositionem Nostram Regiam justis legitimisq; de causis, secundùm ejusdem Civitatis jura & nuperi Nostri Rescripti normam, devolvendis, per media usitata & de jure recepta redigat, & hoc pacto plenaria & reali solutione potiatur. Quam voluntatem & concessionem Nostram Regiam ita declaramus, ut antè omnia Aulico Nostro Generoso Petro Minocci vel ejus Cessionario de Summa triginta sex millium florenorum Polonicalium juxtà Privilegium & Mandatum Nostrum Regium ad præfatum Magistratum desuper emanatum ex iisdem bonis Caducis plenè satisfiat. Post quam satisfactionem demum præfatus Magistratus liberam vindicationem omnium Caducorum legitimè incidentium, usq; dum Summa suprammemorata Nobis mutuò data totaliter persoluta fuerit, sine ullo aut Nostro aut cujuspiam impedimento habiturus est. Quæ vindicatio ut eò liberiùs & efficaciùs procedat, volumus ac decernimus, ut tantisper, donec tàm summa triginta sex millium florenorum pro præfato Petro Minocki, quàm triginta millium à Magistratu Gedanensi nunc mutuò datorum, plenè & sufficienter persoluta fuerit, omnis Administratio bonorum Caducorum in Civitate Nostra Gedanensi Magistratui ejusdem Civitatis liberè & totaliter relinquatur, in eoq; pristinum bona Caduca in illa Civitate administrandi modum reducendum esse censuimus. Et quoniam de præfati Magistratus integritate & religiosissimo vinculo Nobis adstrictâ fide planè certi sumus, ideò eam administrationem ipsi absolutè & sine circumscriptione ullâ concedimus & permittimus, eodem jure, quô illam Fiscales Nostri hactenus habuerunt. Quæ administratio nihilominùs non ulteriùs extendi poterit, quàm quatenus summa suprà memorata persoluta nondum fuerint. Intra quod tempus Fiscalem Nostrum Ejusdemq; substitutum ab omni administratione Caducaria in Civitate Nostrâ Gedanensi abstinere volumus, & quatenus tali administrationi nec interveniant, nec sese ullâ ratione immisceant, de certa plenaq; scientia Nostra jubemus. Quam primùm de summis suprà memoratis totalis satisfactio consecuta fuerit, tunc demùm ad ulteriorem dispositionem Nostram &

Successorum Nostrorum pertinebit, quid de administratione illa in futurum fieri velimus. Super quibus omnibus præsens Rescriptum Regium Nostrum præfato Magistratui Gedanensi benignè & de certa scientia concessimus & expediri jussimus, cui repugnare aut obstare nolumus quacunq; inposterum in contrarium impetranda Mandata vel Privilegia huic Rescripto Nostro per clausulas generales vel speciales quovis modo derogantia, sed ea omnia & singula tanquam nulliter & illegitimè obtenta hisce cassamus & annihilamus, præfatumq; Magistratum Rescriptô hôc Nostrô Regiô plenariè frui, & à quibusvis quorumvis impetitionibus & molestationibus per omnia liberum & immunem esse volumus & jubemus. Quod in notitiam omnium & singulorum, quorum interest, inprimis Fiscalis Nostri in Civitate Gedanensi ejusq; Substituti, deducendum esse mandamus. In cujus rei fidem præsentes manu Nostra subscriptas Sigillo Regni communiri jussimus. Datum Varsaviæ die II. Mensis Aprilis, Anno Domini M DC XLVII. Regnorum Nostrorum Poloniæ XIV. Sveciæ verò XV. Anno.

III.

Ad pag. 248. seq. Sermo Excellentissimi & Reverendissimi Domini Andreæ Olszowski, Episcopi Culmensis, pro-Cancellarii Poloniæ, ad Gedanenses.

Quæ Sermonem hunc nomine Magistratus cæterorumque Ordinum & Universæ Communitatis Gedanensis ante præstitum Homagii juramentum insecuta, & ore Syndici tunc Civitatis, Nobilis Bartholomæi Francke, eadem die 9. Julii prolata sit Responsio, ipse tenor docebit

Serenissimi & Potentissimi Principis & Domini, Domini MICHAELIS DEI Gratiâ REGIS Poloniæ, Magni Ducis Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kyoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ, Czerniechoviæq;, Domini Nostri Clementissimi.

Illu-

Illustrissime, Reverendissime ac Excellentissime Domine COMMISSARIE, Domine Gratiosissime,

ATtentis, ut par est, animis ea quæ nomine Sacræ Regiæ Majestatis, Domini Nostri Clementissimi, Illustrissima ac Reverendissima Excellentia Vestra Senatui Populoque hujus Civitatis, verbis Benignitatem & Gratiam Regiam spirantibus, fusiùs gratiosissimè exponere est dignata, Senatus & reliqui Civitatis Ordines exceperunt. Atque uti luculenta Regiæ clementiæ argumenta perspexerunt, ita humillimarum suarum partium esse ducunt, submissâ & gratiosâ veneratione eadem amplecti & exosculari. Imprimis autem Sacræ Regiæ Majestati prosperam corporis valetudinem, perennem Sceptri felicitatem, secundos Consiliorum exulceratis hisce temporibus successus, & gloriosos eosq; perpetuos de hostibus triumfos devotissimè comprecantur. Cùm verò tàm ex Literis Sacræ Regiæ Majestatis benignissimis, quàm ex propositione per Illustrissimam ac Reverendissimam Excellentiam Vestram in præsenti gratiosissimè facta Senatui Ordinibusq; constet, Sacram Regiam Majestatem Serenissimorum Suorum Antecessorum Poloniæ Regum exemplò debitum fidelitatis Sacramentum secundùm receptam hactenus consvetudinem per Illustrissimam ac Reverendissimam Excellentiam Vestram, cui hanc provinciam clementissimè dedit, ab hac Civitate exigere, vestigiis Majorum, qui ab ipsis Incorporationis Incunabulis illibatum servarunt fidei & obsequii decus, insistentes nihil quicquam circa capescenda alacriùs Sacræ Regiæ Majestatis jussa in se desiderari patientur, moti præsertim benignissimo Sacræ Regiæ Majestatis erga hanc Civitatem affectu. Illuxerunt scilicet Benignitatis & Clementiæ Regiæ radii, cùm in Generalibus felicis Inaugurationis Comitiis Sacra Regia Majestas Civitatis hujus Jura, Privilegia, Immunitates, Consvetudines, Concessiones, Libertatesque tàm in Ecclesiasticis quàm Politicis causis ac negotiis solenni Confirmationis Diplomate sarta, tecta, & inviolabilia esse jussit, cùm fortunarum Civitatis incrementa benignissimè se promoturam, & quæ vel inclementia fati, vel injuriâ hominum, hanc Civitatem

„ premunt & affligunt præjudicia & gravamina ſublaturam eſſe cle-
„ mentiſſimè declararet. Inſinuavit omnium animis clementiſſima
„ hæc Clementiſſimi Regis declaratio indubiam ſpem melioris for-
„ tunæ & felicitatis, ſed ſolidæ felicitati plura adhuc obſtant, inter
„ quæ non eſt poſtremum, quòd cum vigore Pactorum, Pacis præ-
„ ſertim perpetuæ, Generalium item Terrarum Jurium, & ſpecia-
„ lium hujus Civitatis Privilegiorum, mercatoribus noſtris immuni-
„ tas à teloneis (antiquó illô unicè exceptó) competat, Cives ta-
„ men noſtri, qui in Regno & adjacentibus exterisque Provinciis
„ & Regionibus commercia exercent, novo vectigalium & exactio-
„ num onere præter meritum graventur. Auget hanc calamita-
„ tem vicinum & quotidianum Civium noſtrorum conſpectui ex-
„ poſitum, eòque gravius, malum, quòd, licet fundamentalibus
„ hujus Civitatis juribus, communibus item Privilegiis, ſanctiſſime
„ ſit cautum, ne intra quintum ab Urbe lapidum cuiquam arcis
„ aut oppidi condendi facultas, neque ulli in Arcibus, Oppidis,
„ ac Caſtellis negotiationes, commercia, & opificia exercendi jus
„ eſſet, iis planè non attentis, Schotlandiæ & vicini pagi, vulgò
„ Stoltzenberg dicti, incolæ commerciorum, opificiorum, taberna-
„ rumque, in quibus omnis generis merces publicè venum expo-
„ nuntur, libertatem de facto ſibi arrogent & exerceant, eóque
„ ipsó cives Noſtros maximó damnó afficiant. Quod non poteſt
„ non eſſe quàm luctuoſiſſimum, cum neſcio quæ hominum col-
„ luvies civibus optimè de Republica & Patria meritis pacis tem-
„ pore panem præripiat, ſi quæ autem ingruerent adverſitates,
„ quæ vitam, ſangvinem, & facultates boni publici causâ impen-
„ dere jubeant, ſeſe periculis & oneribus, rerum & fortunarum
„ ſuarum ſedem tempeſtivè aliò transferendo, ſubducat. Plura
„ ſunt quæ hanc Civitatem affligunt, ſed & conſultò, ne patien-
„ tiam Illuſtriſſimæ ac Reverendiſſimæ Excellentiæ Veſtræ fatige-
„ mus, in aliud tempus rejicimus, unicum tantùm ſtrictim expoſi-
„ turi deſiderium, quod communem Civitatis ſalutem maximè affi-
„ cit. Cùm exhauſtæ Civitatis facultates exſolvendis pecuniarum
„ ſummis, quas fide publicâ mutuo acceptas in bellum Svecium

totius

totius Reipublicæ bono impendit, non sufficiant, gravi æris alieni & usurarum onere premitur Civitas. Cui sublevando non est præsentius remedium, quàm ut Serenissima Respublica expensas in belli illius necessitates à Civitate erogatas juxta Regiæ Assecurationis & Constitutionum nonnullarum Regni tenorem propediem refundat. Hæc hoc temporis in sinum Illustrissimæ ac Reverendissimæ Excellentiæ Vestræ effundere Senatus & reliqui Ordines voluerunt, perobservanter rogantes, dignetur Illustrissima ac Reverendissima Excellentia Vestra æquissimam Civitatis habere rationem, & gratiosissime promovere, ut quæ in detrimentum & jacturam Civitatis vergunt benignissimè tollat, quæ autem vindicando antiquæ dignitatis splendori serviunt afferat Summa Sacræ Regiæ Majestatis Clementia & Benignitas. Certè hæc cognata Cœlitibus Virtus Majores nostros excussó Crucigerorum jugó ad inclytum Poloniæ Regnum, salvâ lege & juris sui libertate, accedere fecit atque indissolubili nexu Serenissimis Poloniæ Regibus adeò devinxit, ut, quæcunque tandem fuerit fortunæ facies, à fide & obsequio nulló damnó, nullô periculó deterriti, nullâ vi adacti, nullâ spe, nullis præmiis, utut interdum solicitati, unquam fuerint abducti. Nec degeneravit â Majorum pietate & fidei integritate æmula Posteritas, quin & ipsa in illo rerum & temporum articulo, quó extrema timebantur, fidem & constantiam suam Serenissimo Regi & Inclytæ Reipublicæ probavit. Ejus propositi tenaces confluxerunt ad Sacræ Regiæ Majestatis nutum & voluntatem omnes Civitatis Ordines, atque uti eos spes fovet certissima, Regiâ Pietate, Clementiâ, & Justitiâ Jura & Privilegia sua conservatum iri: ita fidem & obsequium suum Sacræ Regiæ Majestati, Domino suo Clementissimo, solenni jurisjurandi religione ex consveta formula obstringere sunt parati.

IV.

Ad Epistol. 27. pag 405. circa fin. verb. Provincia Pruthena Deputatos tantùm ad Sacram Regiam Majestatem cum singulari Instructione ablegavit, qui Comitia Regni, & veteris usum Reipublicæ peterent.

Quæ

Quæ Celsissimus Author Epistolæ huic annectere voluit, interq; hæc quæ habentur *pag. 421. in fine : Invitant Ducatus Lithuania & Prussia ad Confœderationem, & in Civitates Prussia & Lithuania statuunt Legem, ut in spatio sex septimanarum juramentum deponant, non exspectatô Generali Congressu —— id est contra jus, quòd de nobis agatur sine nobis ;* & paulò post *pag. 422. Contra jus est quod quicunq; Congressum hunc rumpere voluerit pro hoste Patriæ sit habendus, nec ejus protestatio sit valitura. Ergò jam libera vox est sublata, imò nec circumscriptio nuda sine Ducatibus Lithuania & Prussia——valet.* Item *pag. 426. Non est alius reparandarum exorbitantiarum modus præter Comitia. Reparari enim quod exorbitatum est nequit nisi per Leges, quæ statui non possunt nisi per Comitia, aliàs in nova Reipublica forma non valerent, quæ ipsa reparari aut potiùs ad oblivionem usq; tolli debet. Reparari enim in nova forma & eversô statu Reipublicæ, esset approbare ipsum eversum statum, quod est illicitum*, tum quæ ex Declaratione Ducis Exercituum *pag. 435.* adducuntur, in verb. *Quia pertinet ad securitatem publicam & privatam ut integra Respublica consulat de fatis suis, petimus ideo, ut hæc Comitia sine Prussia Provincia, quæ non postrema pars est Reipublicæ, non concludantur*, & quæ denique *in Epistola subsequente 28. pag. 453.* ex Literis Pacificationis internæ allegantur: *Quando jam avita Civium confidentia & domestica Concordia Orbem Polonum revisit, & angustia temporis nova Comitia Ordinibus Regni indici concedit, mediante consensu omnium Ordinum præsens Magnum Consilium in Comitia transformavimus, formam Reipublicæ ad antiquum statum reducendo, ut quemadmodum Regni Comitia ita Palatinatuum Conventus, atrium libertatis, sentiendi libertatem, jus vetandi——omniumq; subselliorum Ordines ad solitum usum & naturam reducimus ;* Hæc omnia manifestè evincunt, optimo jure egisse Terrarum Prussiæ Ordines, neque successu caruisse suscepta pro defensione jurium certamina, imprimis ut pupilla libertatis, *De Nobis aut in Nos nihil sine Nobis*, salva & illæsa maneret, & ne sublatis Comitiis ocellus & fundamentum libertatis subverteretur. Clariorem adductis fœnerabunt lucem, proderuntq; ad ferendum de subsecutorum temporum eventibus justum & innocens arbitrium, quæ ex Instrumentis publicis & authenticis deprompta sequuntur.

1. Ex

1. Ex Instructione à Statibus & Ordinibus Terrarum Prussiæ ad Sacram Regiam Majestatem Legatis suis Mariæburgi ex Conventu Generali d. 15. Sept. Anno Domini 1672. data.

ID potissimùm curæ suæ commissum habebunt Illustrissimi, Excellentissimus, Illustres, Magnifici & Generosi, Nobilis & Spectabilis Domini Legati Nostri, ut suscepio Varsaviam quamprimum itinere illic die ultima mensis Decembris præsentes esse possint, ac impetratâ apud Sacr. Reg. Majestatem, Dominum Nostrum Clementissimum, privatim audientiâ, nomine nostro, hoc est, Statuum & Ordinum Terrarum Prussiæ Sacram Regiam Majestatem de constanti Nostra subjectione, fide, & obsequiis, venerationis cultu, curaque tuitionis jurium Majestatis Ejusdem, certam securamque reddant, ac gratias humillimas agant, quòd Libertatum ac Jurium memor illa labefactari non permittat, sed antiqvum domi consultandi morem sartum tectumque conservare Nobis clementissimè dignata sit, humillimè supplicantes, ut in futurum quoque pari Clementia & Benignitate Regia has Terras circumplectatur & foveat.

Ac quoniam præsentibus internis motibus, qui summopere Rempublicam afficiunt & enervant, salutarius remedium, quàm quod antiquis moribus & legibus introductum est, à Comitiis nempe omnium Reipublicæ Ordinum universalibus, reperiri nequit, ejusque defectus intuitu, quæ forma ab ipsa accessione ad Regnum observata fuit, in præsenti Conventu ad materias à Sacra Regia Majestate nobis propositas deliberationes instituere nequivimus, humillimis obsecrationibus & studiis Sacram Regiam Majestatem Domini Legati Nostri rogabunt, ut Comitia Ordinibus Regni indicere, ac negotia eadem summam Reipublicæ concernentia illic ad Universos Ejusdem Ordines referre clementissimè dignetur. In hac enim Symmetria Consiliorum Rempublicam tot seculis florentem ad præsentia derivatam tempora posteris quoque relinqui fas est. In hoc Sacrario consultationum publicarum & condendarum Legum sic constituto, ut securitati re-

„ ctæ rationis & liberi sensus metus armorum non obstrepat, Ipsius
„ Sacr. Reg. Majestatis, Domini Nostri Clementissimi, debita vene-
„ ratio & cultus stabiliri, cives invicem civiliter agere & componi
„ ac cuivis ut ad præscriptum Legum officium suum exequatur le-
„ ges dari possunt; in Eodem quoque Rempublicam ad antiquam
„ normam reduci sibique restitui integrum erit, quin & Nos ex
„ debito officiorum & subjectionis nostræ omnia pro tuitione ju-
„ rium Majestatis Dignitatisque Supremæ Regiæ Majestatis Domini
„ Nostri Clementissimi atque ex commodis Reipublicæ secundùm
„ Jurium Nostrorum prærogativam per Dominos Nuncios nostros
„ agere & consultare non negligemus. Cùm ergo id non tantùm
„ Nos, sed plurimi in Republica Cives, aveant & flagitent, nec
„ temporis momenta & rationes obsint, quin maturè optimi operis
„ institutum perficiatur, necessitatibusque Reipublicæ commodè
„ subveniri possit, rem justam, in fundamento Legum positam,
„ multorum votis exoptatam & effectu salutarem Sacram Regiam
„ Majestatem minimè denegaturam esse confidimus

2. Ex Responso Sacræ Regiæ Majestatis Nuncio, Per-Illustri & Admodum Reverendo Domino Alberto Dzialinski, Canonico Varmiensi Sacræ Regiæ Majestatis Secretario, à Statibus & Ordinibus Terrarum Prussiæ Mariæburgi in Conventu Generali d. 15. Mensis Decembr. Anno Domini 1672. dato.

„ MAxima submissione & humillimo animorum cultu Status &
„ Ordines paternam Sacr. Reg. Majestatis, Domini sui Cle-
„ mentissimi curam & solicitudinem amplectuntur, Quæ hisce ar-
„ duis quàm maximè temporibus & conturbato Fatorum inclemen-
„ tiâ Reipublicæ statu Libertatum & Jurium Pruthenorum memor,
„ collidi illa ex Regia Sua Prudentia & Benignitate clementissima
„ haud quaquam permittens, antiqvum & ab ipso ad Rempublicam
„ accessu usitatum in his Terris consultandi modum illibatum iis-
„ dem conservare ac Conventum præsentem indicere clementissime
„ dignata est. Humillimis sane precibus & studiis Sacram Regiam
„ Majestatem, Dominum suum Clementissimum Status & Ordines
obse-

obsecrant, ut & porrò supremum & unicè sibi à Deo in Terras " Prussiæ concreditum tenens Regimen Jura eadem Pruthenorum " protegere, tueri, & manutenere Regiâ Suâ Authoritate clemen- " tissime dignetur. Et quod ad materiam à Sacra Regia Majestate " in Conventu præsenti propositam attinet, Status & Ordines sum- " mam esse agnoscunt necessitatem, ut perspicaci & solido consi- " lio tot angustiis pressæ Reipublicæ maturè & communibus suffra- " giis succurratur. Cùm autem id ritè & salubriter maximè in Co- " mitiis Universorum Reipublicæ Ordinum fieri liceat, humillimè " & per amorem Patriæ rogant, eóque nomine etiam peculiari suâ " legatione obtestantur Sacram Regiam Majestatem Status & Ordi- " nes, ut Comitia Reipublicæ Generalia, quamprimùm id fieri po- " terit, indicere & solenniter secundùm Leges Patrias & Consvetu- " dines antiquas de negotiis summam Reipubl. concernentibus ad " universos Ejusdem Ordines referre clementissimè dignetur. Non " dubitant Status & Ordines Terrarum Prussiæ respecturum Supre- " mum Numen afflictam atrocissimis calamitatibus Reipublicæ sor- " tem, eâdemque sibi restitutâ, novitatibus remotis conciliatisq; " invicem animorum motibus, faustum eorundem Comitiorum even- " tum largiturum esse &c. &c. "

Punctum verò Instructionis Regiæ, ad quod prædictum Responsum referendum est, his conceptum erat verbis:

Ex Instructione Sacræ Regiæ Majestatis, Venerabili Alberto Dzialinskj, Canonico Varmiensi, Secretario & Nuntio Regio ad Conventum Generalem Terrarum Prussiæ Mariæburg. pro d. 15. Decembr. 1672. indictum, data.

AD eam Reipublicæ compagem, quæ cœlesti nutu & pru- " dentia ac fortitudine Majorum coaluit, cùm Terræ Prussiæ " pertineant, nec à communibus Consiliis Eas segregari fas sit, Sa- " cra Regia Majestas Dominus Noster Clementissimus congruum " censuit, ut ad manutenendam Confœderationem, quam in Ca- " stris ad Golembium & Lublinum totius Regni Nobilitas pro Ge- " nerali expeditione congregata inivit, etiam Terræ Prussiæ invita- " rentur, dum in Consilio illo Campestri præsentibus adesse non " licue- "

„ licuerit. Quò igitur facilius ad eandem Confœderationem Sanctiori Sacræ Regiæ Majestatis juramentó firmatam accedant, in communeque labescenti Reipublicæ consulant, juxta necessum Confœderationis Terris Prussiæ Generalem Conventum Mariæburgi indicere dignatur Sacra Regia Majestas. Qui Conventus Circulum sive Consilium Generale Varsaviæ pro die 4. Januarii indictum præcedet. Nuntios igitur ad illud Consilium cum plenâ potestate eligant ac mittant, qui de summis rebus cum omnibus Ordinibus deliberent & statuant, & Rempublicam tot adversis exercitam & atrocissimi hostis insultu laceratam in pristinum reponant statum.

Cæterùm postquàm præfatus Circulus sive Consilium Generale Varsaviæ die 4. Januarii Anno 1673 indictum & vix inchoatum in solennia omnium Ordinum Comitia mutatum, Ordines autem Terrarum Prussiæ ad eadem Comitia non solùm non vocati, sed etiam in Comitialibus sancitis & conclusis insoliti & juribus Terrarum harum è diametro contrarii Contributionum modi approbati essent, Status & Ordines in Conventu Generali *Mariæburgi die 2. Maji dicti Anni 1673.* celebrato, mediantibus tùm Responso Nuntio Regio ex eodem Conventu datô, tum specialibus Laudis Manifestationis & Securitatis, indemnitati Jurium Provinciæ præcavere omni studio allaborarunt, testantibus annexis documentis.

3. Ex Responso Sacræ Regiæ Majestatis Nuncio, Generoso Domino Matthiæ Rudowickj, à Statibus & Ordinibus Terrarum Prussiæ, in Conventu Generali Mariæburgensi 2. Maji Anno 1673. dato.

„ Clementissimam Sacræ Regiæ Majestatis erga Terras Prussiæ gratiam humillimis Status & Ordines Terrarum Prussiæ venerantur obsequiorum, fidei, & subjectionis voluntatibus, & inprimis, quòd post innumera Regalis Benignitatis specimina, Conventum præsentem clementissimè indixerit, eoque Authoramento defectum Amoris fraterni concivium in Republica nupero in Conventu Varsaviensi erga Terras Prussiæ explicatum supplendi, temperandisque de se arbitriis locum reliquerit. Gravi sanè necessitate

tate inducti Status & Ordines adversùs novissima Legis publicæ "
Decreta, ipsis ad Comitia non vocatis absentibusque, benè tamen "
semper de Republica mereri annisis, constituta dolorem suum Lau- "
do publico in remedium Libertatis ex præsenti Conventu testati "
sunt, Reipublicæ quidem Ordinum in Palatinatus suos volentes "
sanciendi autoritatem labefactare minimè præsumpturi, sed liber- "
tati suæ consultum cupientes, ne Terræ hæ earumque Cives cu- "
juscunque Status & Conditionis immunitatibus suis gaudentes præ- "
ter assensum suum ad insolita, juribusque Patriis adversa, & ea, "
quæ abque se statui non debent, pertrahantur. Eam contesta- "
tionem in fundamento juris positam, & haud quaquam exemplo "
anteriorum temporum destituram, ut Sacra Regia Majestas æquâ "
voluntate ferre, & Autoritate Regiâ paternè fulcire, in ulteriori- "
busque occasionibus suffragio Regio comitari clementissimè digne- "
tur, rogant humillimè Status & Ordines. "

Et pauló post:

Humillimè rogant, ut Sacra Regia Majestas clementissimè "
providere dignetur, ne prætextu Constitutionum novellarum de "
Contributionibus in Regno sancitis, utpote vocatis teloneo aqua- "
tico & terrestri, accisa generali, & solidaria collecta, aliisque "
contra Immunitatum suarum viridem & continuam observantiam, "
multarumque consequentiarum, quæ malè evenire possint, vi- "
tandarum gratiâ turbentur, molestiave afficiantur nociva, & ad "
ultimum cum totius dispendio Reipublicæ deprimantur defectum "
occasuræque Libertatis extremum luctum. "

4. Laudum Manifestationis.

NOs Status & Ordines Terrarum Prussiæ in Conventu Generali "
Mariæburgi congregati Universis & singulis quorum in- "
terest notum testatumque facimus. Quamprimum Nobis innotuit "
Consilium Varsaviense, Magnum appellatum, in Comitia Regni "
quasi Generalia conversum fuisse, eaque subsequenter contra "
præscriptum jurium & immunitatis nostræ prærogativam in Re- "
gno communem, Nobis nec obdestinatis, nec vocatis, multò "

„ minùs præſentibus, conſulentibus, & aſſentientibus, quin imò
„ abſentibus (cùm tamen immediatè per ſolennem Legationem ad
„ Sacram Regiam Majeſtatem miſſam humillimè pro expeditione
„ Comitiis celebrandis ſupplicaviſſemus) concluſa & magno volu-
„ mine Legum novarum inſignita eſſe, non potuimus, maximò ea
„ ſuper re perculſi dolore, niſi publico aſſenſu manifeſtare, quòd
„ Nos Cives in eadem Republica æqualitate juris, conditionis, di-
„ gnitatis & libertatis cum cæteris Regni Terris & Palatinatibus ac
„ univerſa Nobilitate Polona ſemper pares, neque minus unifor-
„ mitate Conſiliorum ab ipſa acceſſione, etiam Legibus Regni te-
„ ſtantibus, & quavis antiqua & recenti memoria perennante, gau-
„ dentes prætermiſſi & quaſi à conſenſu, diſpoſitione, & conſilio
„ per injuriam publicam indebità præteritione ſegregati ſimus.
„ Quò minùs ergo Comitialia illa Sancita & Concluſa omnia quà
„ publicè quà privatim in Nos derivari, aut Terræ hæ Pruſſiæ
„ omnium trium Palatinatuum Civitatumque majorum & minorum,
„ nec non privati cujuscunque Status in Conditionis in communi
„ & ſigillatim, novis Legibus aggravari poſſint, præſenti Declara-
„ tione obviam euntes de læſa ex non condigno & abſque merito
„ Immunitate Terrarum Pruſſiæ coram Inclyta Republica & impri-
„ mis Sacra Regia Majeſtate, Domino Noſtro Clementiſſimo, pro-
„ teſtamur, ac invicem pro conſervanda Jurium Noſtrorum indem-
„ nitate ſpondemus, Nos in proximis Comitiis Generalibus ſeriò
„ acturos, in eo ſolo non derogantes Conſenſui Palatinatuum Re-
„ gni in iisdem Comitiis, qui illos ſolos utpote Eidem Conſilio
„ Comitiali adhibitos & præſentes afficere poteſt, quanquam nec
„ id, quippe in una & indiviſa Republica atque in negotio com-
„ muni, per Juris publici formam pro eodem termino quaſi reſti-
„ tutam peregiſſe ſine omnibus & Conſenſu Univerſali, ut verè Co-
„ mitia Generalia Regni dici potuiſſent, competierit. In quorum
„ fidem Sigillum Terrarum harum ſubapprimi fecimus. Actum &
„ datum in Conventu Generali Mariæburgi die 2. Menſis Maji
„ Anno 1673.

5. Pro-

5. Protestatio seorsiva trium Civitatum majorum nomine interposita.

Actum coram Judicio Civili Bannito Regiæ Civitatis Mariaburgensis, die 13. Mensis Maji Anno 1673.

COram Judicio & Actis præsentibus Civilibus Scabinalibus personaliter comparentes Spectabiles Simon Schultz, nomine Nobilium Andreæ Baumgarten & Joannis Austin, Civitatis Thorunensis Consulum, Raphael Nakelski nomine Nobilium Henrici Treschenberg Pro-Consulis, & Martini Leewald, Consulis Civitatis Elbingensis, Reinhold Wider nomine Nobilium Christiani Schröderi & Danielis Proiten, Consulum Civitatis Gedanensis ad Conventum Mariæburgi pro die 2. Mensis Maji indictum Internuntiorum Secretari, inhærendo Laudo Manifestationis in publico hocce Terrarum Conventu à Statibus & Ordinibus Earundem contra Comitialia novissima sancita & conclusa omnia quà publicè quà privatim Terras hasce Prussiæ omnium trium Palatinatuum Civitatumque Majorum & Minorum, nec non privati cujuscunq; Status & Conditiones, in communi & sigillatim Jura, Privilegia, Immunitatesque afficientia facto, tàm in genere contra supra dicta sancita omnia, quàm in specie & expressim contra Constitutionem de teloneo aquatico & terrestri, accisam generalem, tributum capitis, exactionem solidariam, constitutionem de depositis tempore belli in Civitatibus, Donativum Kupiecke sive Civium & Mercatorum ex his Terris in Regno commercantium, Commissionem Beerwaldensem ratione gravaminis de non admittenda Appellatione, Subsidio charitativo decimæ partis proventuum ab Ecclesiasticis inferendo, ne ad Ministros dissidentium trahatur, & quæ porrò alia in istis Constitutionibus sive publicatis sive publicandis Terris hisce, Civitatibus tàm Majoribus, quàm Minoribus, privatisque præjudiciosa continentur, itidem manifestant & protestantur de eo, quòd sicut prædictæ Constitutiones Civitatibus Prussiæ Earundemque Juribus, Libertatibus, Immunitatibus & Consvetudinibus præjudiciosissimæ sunt, ita Earundem

„ rundem juribus, privilegiis ac immunitatibus nullatenus præjudi-
„ care, derogare, aut eadem convellere, nec executionem in Ter-
„ ris Prussiæ, Civitatibus, aut quacunque persona cujuscunque Sta-
„ tus & conditionis in communi & sigillatim jure merito obtinere
„ valeant, possint, ac debeant, reservando Eisdem Terris ac Civi-
„ tatibus & quibuscunque personis omnia & singula sua Jura, Pri-
„ vilegia, Libertates, Immunitates & Consvetudines publicè & pri-
„ vatim competentes per omnia integra, salva, illæsa, cum facul-
„ tate hanc suam Manifestationem ac Protestationem meliorandi,
„ augendi, minuendi & in forma pleniore sive ad præsentia sive ad
„ quæcunque alia Acta authentica toties quoties visum fuerit offe-
„ rendi; Petentes hanc Manifestationem & Protestationem Actis
„ præsentibus inseri, & inde sibi authenticè; quoties opus fuerit,
„ extradi. Quod obtinuerunt Jure mediante,

6. Laudum Securitatis.

„ NOs Status & Ordines Terrarum Prussiæ in Conventu Gene-
„ rali Mariæburgi congregati Universis & singulis quorum in-
„ terest notum testatumque facimus, Quòd cùm sancita novella-
„ rum Constitutionum Regni Anni præteriti Terras has Earumque
„ indigenas omnes & Cives obligare minimè valeant, eòque pe-
„ culiari nomine Manifestatio publica in Conventu præsenti jam
„ intercessit, neque pro contestando Nostro erga Rempublicam
„ affectu in subsidio sanciendo officio Nostro defuimus: Ideo ne
„ quid novitatis alicujus prætextu earundem Constitutionum in
„ præjudicium Jurium & immunitatum morisque & usus continui
„ attentare quis præsumat, novasque per loca inusitata neque si-
„ milibus & extraordinariis viis exactiones, extorsiones, & quo-
„ cunque nomine vocitatas Gabellas instituere, constituendum esse
„ duximus, prout ad præsens seriò & immutabiliter constituimus,
„ ut quisque Illustrissimorum & Excellentissimorum Dominorum
„ Palatinorum pro Munere & Officio, Illustris & Magnificus Capi-
„ taneus ex Obligatione, Generosus & Nobilis pro Libertatis com-
„ modo, Civitates pro Securitatis internæ conservatione, quisque
in

in ditionibus & bonis suis pro re boni publici Provinciæ advigilent, tueantur, &, ubi opus fuerit, impediant, ne qui tale in commune præjudicium & juris harum Terrarum patrii irrepat, instituatur, & inducatur, quod exercere & Pruthenos affligere, daciis, teloneis, accisis & quoquò modò vocitandis hic inobservatis ac indebitis onerare possit, quin imò omnem operam, conatum, &, si aliter fieri nequeat, impedimentum & resistentiam opponant, sive sigillatim sive conjunctim, ne quid detrimenti publico juri & usui & privatorum exoriatur præjudicii. Undè, quod Deus avertat, si cujus inadvertentiâ aut industriæ neglectu oriatur quid incommodi propter non impedita aut præstitam resistentiam, Provinciæ respondere tenebitur. Interim vicinior aut viciniores ad Officium Patriæ præstandum, juriquè defendendo concurrent. Vicissim Nos Status & Ordines cuique pro re Provinciæ agenti vel sese casui opponenti & pro debito integritatem & securitatem defendenti evictionem omnimodam tàm suprà fatorum, quàm etiam Capitationis & in vim ejusdem à Civitate Gedanensi An. 1662, & subsequenter laudatarum accisarum nomine publicè & privatim, sigillatim & in solidum firmiter cavemus & promittimus; Obligantes Nos in universum in omni termino & foro communi sumptu & oppositionibus integritatem vindicaturos & asserturos. In præmissorum fidem Sigillum Terrarum Prussiæ hisce subapprimi fecimus. Actum & datum Mariæburgi in Conventu Generali die 2 Mensis Maji, Anno 1673.

V.

Ad pag. 414. Literæ Responsoriæ Statuum & Ordinum Terrarum Prussiæ ad Literas Archi-Episcopi Gnesnensis, die 21. Decembris 1672. Lovicii ad Conventum Generalem Mariæburgensem expeditas.

Celsissime atque Reverendissime Princeps, Domine, Frater Observandissime.

VEl indè plus quàm evidenter constare potest maximis vicissitudinibus prob dolor! agitari Rempublicam, cùm in primis cardini-

bus commota à summis ad singula grassantem morbum impotens avertendi suscipiat membra, fatiúq; haud faventibus connivere cogatur. Conditio hac est connata imperiis, quibus crescendi & decrescendi, quasi vita & mortis, venit necessitas, felix vel adversa. Non absq; perturbatione Status & Ordines harum Terrarum mala publica intuentur & indolent tanta collisioni, quibus illud unicum est & singulare studium, ut primâ aliquando recuperatâ formâ & constitutio illius vigere & fortuna possit. Grande est quod Reverendissimam Celsitudinem Vestram affligere videtur, Ejusq; eminentem lacessere gradum, ipsô tamen spiritu animoq; inconcusso minora sunt omnia illa, quorum communis error natura est, & brevi defervescens incensa Civilitatis motus. Utinam hac non evenissent unquam, haud intra talem turbinem versaremur. Justè Reverendissima Celsitudini Vestra condolentia undiq; debetur, &, si dicere competit, suffragium ibi unde suffragia proveniebant. Tempora adversa in suas facies deformârunt Legum abusum, quem magna DEI manus reponat in florem antiqvum, & securitati communi restituant locum. Libenter cupimus Reverendissima Celsitudini Vestra Nostra deferre officia, Ejusq; amplissima Primatiali Autoritati resumenda addere studia hujus Provincia, si bonis avibus, prout ex hoc Conventu expedita est, solennis ac Sacram Regiam Majestatem implorandorum consiliorum gratia redierit Legatio. Inde enim juris & aqui aperietur janua, & omnes intra debitam constituta orbitam pro re communi loquentur Leges. Non desperamus tamen de Regia aquanimitate & sagaci prudentia, qua Magnis semper adhærere solet soliis, quia Salutem publicam intra cateras curas Regias ponet. Inde omni Dignitati certissimum alleviamentum & defensio esse debet certissima. Retinemus memoriam & refricamus Reverendissima Celsitudinis Vestra gratiarum in Provinciam Nostram exhibitarum, manebit semper promptitudo studiorum nostrorum, & Nos manemus

Reverendissime Celsitudinis Vestræ

Dat. Mariæburgi in Conventu Generali
die 2. Maji Anno 1673.

ad studia & officia quævis paratissimi

Status & Ordines Terrarum Prussiæ.

VI.

Ad Tom. I. Part. II. pag. 1152. Disquisitio in quædam Jura Terrarum Prussiæ ad Decisionem Comitiis Varsaviensibus in 26. Januar. incidentibus per Nobilem Regni porrecta Anno 1651. Item pag. 1157. Vox Libera de Comitiolis, Indigenatu & Thesaurariatu Prussiæ 1651.

Quid de priori Scripto absque ulla necessitate, æquè ut posterius, Epistolis hisce inserto sentiendum sit, quilibet extra partium studia positus Statusque & Jurium Provinciæ Prussiæ satis gnarus facili negotio judicabit. Interim sufficiet Literas ad Autorem à N. d. T. Nobili Prutheno statim post divulgationem expeditas inserere.

Mi Domine N.

EX Disquisitione Tua manifestè apparet, Te facere mali coci more multa simul jura miscentis in una olla. Agnoscet quivis vel civiliter saltem bonus, te non Patriæ amore, sed privatis duci affectibus. Longè aliter rem se habere jampridem evictum est. Non oportet omnibus quæ à Te dicuntur fidem adhibere, sed acriter ea examinare & discutere. Nam per DEUM quis innocens esse poterit si accusasse sufficiet? Classicum contra Nos canis, Principem & Rempublicam Nobis tanquam seditiosis obviam ire jubes. Ast clamant Acta publica, evincunt Historiarum & Privilegiorum Documenta, inprimis autem illud Divi Casimiri Regis Poloniæ, Sponsioq; reciproca Borussorum, quam Tu non sufficienter allegasti, sed tanquam vir rixæ, vir discordiæ, vir pestifer, concitans seditionem in universa Borussia, illam prævaricari & invertere omninò studes, Nos ad Generalem belli expeditionem cum Regnicolis non teneri, Juraq; Indigenatus tàm notoria ipsisq; Regum testimoniis asserta sunt, ut qui negare ea vellet, manifesta tecum oblatrare velle dicendus sit veritati. Idem de Thesaurariatus, & ipsius, quam frustrà oppugnare intendis, Autonomiæ juribus dicendum est, ut adeò nullum narrata Tua mereantur responsum, sed contemptum. Cui te relinquens votum addo, ut qui sa-

pere præ aliis & docere alios gestiis, insipere tandem dediscas, neq; te ipsum decipiendo aliis frustrà imponere imposterum audeas. &c. &c.

Quod verò ad posterius scriptum attinet, non opus fuit in illo refutando desudare, cùm ejus calumniosa iniquiras per publicè in Conventu Post-Comit. *Mariæburgi Anno 1653. d. 23. Maij* celebrato decretam combustionem manu Carnificis faciendam satis demonstrata & punita sit.

VII.

Ad pag. 1185. verb. Imò hoc Telonium contra Jura Cardinalia Prusſiæ ampliùs practicari nequit. &c.

PRovinciam Prusſiæ Ejusque Incolas nullis terrestribus aut aquaticis teloneis in Regno & incorporatis Provinciis subjici posse Cardinalia Terrarum Prusſiæ Jura tàm clarè docent & asserunt, ut clarius quidquam dici & affirmari nequeat. Etenim præter Privilegium Culmense *Anno 1251.* ab Everhardo de Seyne renovatum & inter *Jura Municipalia Terrarum Prussiæ* primò locò relatum (cujus Autographum exemplar latino sermone scriptum in Archivo Thorunensi extitisse ex oculari inspectione testatur Christoph. Hartknoch *in Animadversionib. ad Petri de Dusburg. Chronicon Prussiæ, part. 3. cap. 58. b.* & *in selectis Dissertationib. Historic. de variis rebus Prussicis Dissertat. 17. §. 4.* & hodiè adhuc reperiri affirmat Jacob. Henric Zerneke *in Histor. Thorunensi ad Ann. 1233. pag. 10. seq.*) *Artic. 42.* ibi: *Absolvimus etiam totam Terram prædictam ab omni penitus telonei exactione.* Item Privilegium Pacis & Concordiæ per Vladislaum III Poloniæ Regem cum Paulo de Rusdorff Magistro Prusſiæ in Brzescie Cujaviæ *Anno 1436.* factæ inter *Privilegia Statuum Ducatus Prussiæ Braunsbergæ Anno 1616. typis impressa fol. 10. Nec nos REX, Dux Magnus Lithuaniæ, Duces Masoviæ & Stolpensis imponemus aliquod novum teloneum in gravamen & prajudicium Subditorum Ordinis prædicti, & si quod novum est impositum in Terris nostris & Ducatibus prædictis à tempore Concordiæ circa lacum Melno facta, omnino deponatur, teloneis & depositis antiquis semper salvis;* & *fol. 11. §. Item liber sit transitus & via omnibus mercatoribus ac incolis*

incolis Terrarum & Dominiorum Ordinis &c. &c. tum & Privilegium Incorporationis Terrarum Prussiæ à D. Casimiro Earum Incolis, cùm excussô Cruciferorum jugo in sua essent potestate & spontaneam deditionem fecissent, *Cracoviæ fer. 4. Cinerum Anno 1454.* concessum, & juribus Municipalibus insertum, vers. *Item alia omnia telonea in aquis & terra.* &c. &c. Et vers. *Item Mercatoribus Terrarum prædictarum Prussiæ in Regnum, Ducatus, & Dominia nostra venientibus hanc libertatem & prærogativam volumus conservari, ut quoties illos in quæcunq; loca, civitates & oppida Regni & Dominiorum nostrorum venire cum mercibus eorum, cujuscunq; speciei vel materiei existant, contigerit, licitum erit eis hujusmodi merces in loca, testudines, & cameras & tecta, quarum illis libera præstari debet arrendatio, deponere & pro suo arbitrio exponere in venalitatem, Stratasq; omnes versus Hungariam, Russiam, Moraviam, Silesiam, Austriam, Saxoniam, Wallachiam liberas habeant (vid. Janusehov. pag. 903. in f.) depositis tamen, teloneis, & stratis antiquis Civitatum Regni & Dominiorum nostrorum semper salvis;* Nec non Pacem perpetuam inter Sigismundum I. Regem & Regnum Poloniæ & Albertum Ducem & Magistrum Prussiæ *Cracoviæ Anno 1525.* confectam inter dicta *Privilegia Statuum Ducat. Prussiæ fol. 35. vers. Item quòd deinceps omnes Incolæ Terrarum Prussiæ utrinq; reciproca vicissitudine in terra & mari sine impedimento negotiationes exercere——debent.* Et paulò post: *Item nulla telonea——in Terris Prussiæ contra antiquam consvetudinem & Privilegia ab ulla partium institui debent.*—— atque præter Renovationem Ejusdem Pacis perpetuæ inter D. Sigismundum Ejusq; Filium Sigismundum Augustum & Albertum Ducem Prussiæ *Vilnæ d. 21. Junij Anno 1529. factam*; inter allegata Privilegia *fol. 41. b. §. Item liber sit transitus & via, &c. & fol. 43. pr. §. Item Datia &c.* ibi: *Nec Nos in Magno Ducatu nostro imponemus aliquod novum teloneum in præjudicium & gravamen subditorum Ducatus Prussiæ &c.* Præter, inquam, adducta Jura & quæ temporibus subsecutis pro defensione eorundem dicta, scripta, & publicè allegata typisque expressa fuere, sufficiet sequentia pauca ex quamplurimis quæ suppetunt documentis proferre in medium.

1. Mandatum Divi Sigismundi Augusti Regis ad universos in Regno teloneatores, ut mercatores & cives Gedanenses eôdem jure quô cæteri Terrarum Prussiæ subditi, qui nullis, nisi cum extra Regni fines merces suas provehunt, vectigalium præstationibus tenentur gaudeant, datum *Knisſini die 14. Julii Anno 1567.*
2. Rescriptum Ejusdem Regis ad omnes per Regnum teloneorum Præfectos & Exactores prioris Mandati confirmatorium, datum *Varſaviæ die 20. Novembr. Ao. 1570.*
3. Edictum Universale Ejusdem Serenissimi Regis ad Palatinos, Castellanos, Capitaneos, Tenutarios, Magistratus Civitatum, Exactores & Teloneatores per Regnum constitutos universos & nonnullos in specie nominatos, ne telonea sub quocunque prætextu à Mercatoribus Gedanensibus exigant, datum *Varſaviæ die 7. Februarii Anno 1572.* in quo mentio fit Decreti ab Eodem Serenissimo Rege contra teloneatores pro Civibus Gedanensibus lato.
4. Privilegium Regis Stephani de conservanda Incolarum Prussiæ & in specie Civium Gedanensium à teloneis in Regno solvendis libertate, Regis Sigismundi Augusti, de *Anno 1570.* confirmatorium, datum *Varſaviæ in Conventu Regni Generali 1. Febr. Anno 1581.*
5. Rescriptum Divi Sigismundi III. quô antè memorata Regis Sigismundi Augusti de *Anno 1570.* & Regis Stephani *de Anno 1581.* Privilegia confirmantur, datum *Cracoviæ d. 78. Martii 1588.*
6. *Rescriptum Divi Sigismundi III. Declaratorium, quòd exactioni ad Fordanum ab Ordinibus Regni in Comitiis instituta Ordines Prussiæ non ſubſint*, sequentis tenoris:

Sigis-

Sigiſmundus III. DEI Gratia REX Poloniæ, Magnus DUX Lithuaniæ &c. &c. &c.

UNiverſis & ſingulis quorum intereſt, præſertim verò Gene- “
roſis Alberto & Stanislao Miroczynſkim. Exactionis ad For- “
danum proximè præteritò Generali Regni Conventu Varſavienſi “
ſancitæ Exactoribus, Arendatoribus, & eorum vices gerentibus “
Fidelibus Nobis Dilectis Gratiam Noſtram Regiam. Fideles Nobis “
Dilecti. In ſciſcenda Contributione publica, quæ in Conventu “
Superiori Varſavienſi ab omnibus Ordinibus eſt decreta, diverſa “
fuit Statuum & Ordinum Terrarum Pruſsiæ à Regni Statibus ratio. “
In Pruſsia ſiquidem ante indictum à Nobis Conventum cùm mili- “
tes ob non ſoluta ſtipendia tumultuatentur, Nobis poſtulantibus “
Status illarum Terrarum tributum agrarium, acciſamque & alia “
pleraque ſciverant. Nunc etiam Comitiis peractis ut Regni Or- “
dinibus in ſubſidio communi Reipubl. præſtando ſe exequarent, “
novum & agratiarum & acciſæ tributum more ac inſtituto recepto “
harum Terrarum voluntate Noſtrâ ſanciverunt, ad ea verò quæ “
in Comitiis de contributionibus ſunt decreta non conſenſerunt. “
Cùm autem nihilominus tributum à frumentis & aliis mercibus “
ad Fordanum prætextu contributionis in Polonia ſancitæ à ple- “
riſque eorum, maximè verò Civitatibus ultra Fordanum ſitis, exi- “
geretur, graviter ea de re Status Univerſi, qui ad Conventum Ma- “
riæburgenſem convenerant, conqueſti apud Nos fuerunt, Suppli- “
caruntque Nobis, ut cùm nulli vel Provinciæ, vel Palatinatui, vel “
territorio, invitis ejus incolis onus aliquod imponi poſſit non patere- “
mur etiam Terras Pruſſiæ ejusq; incolas tributo, in quod nunquam “
conſenſerunt, gravari. Quæ illorum poſtulatio cùm æquiſsima Nobis “
eſſet viſa, ſummamq; & caput quodammodò libertatis communis “
attingere videretur, pro noſtro perpetuo in conſervandis libertatibus “
ſubjectorum Nobis populorum ſtudio Declaramus, Terras Pruſſiæ, “
quæ in modum & rationem contribuendi in Comitiis laudata nun- “
quam conſenſerunt, verùm peculiarem contribuendi rationem more “
& inſtitutò receptò ſanciverunt, non poſſe neque debere exactioni “
ad “

„ ad Fordanum institutæ subesse, aut Eorum incolas tàm Ordinis „ Equestris quàm Civitatum majorum & minorum ad eam pendendam teneri, adigi, & compelli. Quare omnibus quorum interest, maximè tamen Exactoribus telonei sivè contributionis commemoratæ mandamus, ne quemadmodum alios omnes cujuscunq; „ Status & conditionis Terrarum Earundem incolas, ita Civitates „ majores & minores tàm supra quàm infra Fordanum sitas ad exactionem eam à frumentis & aliis quibuscunque rebus & mercibus „ quæ in eorum foris emuntur & venduntur, sive secundó sive adversó flumine vehantur, adigant, molestiamque illis aliquam seu „ injuriam exhibeant; Alioquin, cùm nunquam illi in exactionem „ eam consenserunt, contra omnes juris rationes id fieret, omninoque „ pœnis de injustè extortis teloneis quicunque facere id ausi fuerint „ subjacerent. Secus igitur pro Gratia Nostra Officiorumque suorum debito Fidelitates Vestræ ne fecerint. Dat. Mariæburgi „ die 7. Mensis Junii Anno Domini 1598. Regnorum Nostrorum Poloniæ 11. & Sveciæ 5.

SIGISMUNDUS REX.

7. Attestatio Illustrissimi Thesaurarii Regni Joannis Firley de Immunitate Civitatum Prussiæ â teloneo aquatico ex Prussia ad Fordanum translato, data *Varsaviæ die 18. Martii Anno 1601.*

8. Mandatum Divi Sigismundi III. ad Generosum Albertum Mirczynski Exactionis Fordanicæ Administratorem, ut â suo extorquendi â Civitatum Prussiæ Civibus ac incolis exactionem ac teloneum instituto desistat sub pœnis contra iniquè exigentes telonea Legibus sancitis juxta Legum præscriptum ab ipso exigendis, datum *Varsaviæ Mens. Maj. 1601.*

9. Mandatum Ejusdem Regis ad Generosum Matthiam Smogolecki Capitaneum Bidgostiensem, ut opportunis reme-

remediis & modis provideat, ne Exactores Fordanenses imposterum aliquam molestiam in exigenda Contributione Civitatibus Prussiæ in specie Civibus Gedanensibus exhibeant, datum *Vilnæ die 6. Septembris, Anno 1601.*

10. Universales Serenissimi Regis Vladislai IV. datæ *in Castris ad Quidzinum die 16. Septembr. Anno 1635.* Libertatem quæ Gedanensibus per totum Regnum circa liberam navigationem & commercia competit firmantes.

11. Ex Responso Sacræ Regiæ Majestatis Nuntio Admodum Reverendo Domino Michaeli Dzialinski Canonico Varmiensi in Conventu Generali Terrarum Prussiæ prorogato; à Statibus & Ordinibus Culmæ dato die 12. Febr. Anno 1621.

AB Exactione Fordanica hæ Terræ Prussiæ ex antiquo veteris " prærogativæ jure, cùm & juxta Privilegia sua, itemque se- " cundùm Cautionem & Declarationes Sacræ Regiæ Majestatis, nec " non Dominorum Commissariorum Regni Autoritate Comitiali Asse- " curationes immunes sunt, eaque immunitate frui per Dominos " Regni Thesaurarios prædecessores non fuerunt impediti, neque " per modernum, qui nunc demum navigationem Incolis Prussiæ " liberam sub prætextu nautarum sive remigum & frumenti discri- " mine præpediturum se per literas coram Statibus & Ordinibus " productas noviter significavit. Proindè Status & Ordines humil- " limè rogant, dignetur Sacra Regia Majestas clementissimè provi- " dere, ut in detrimentum ac præjudicium prædictorum Jurium & " Privilegiorum navigatio libera incolis Prussiæ & signanter Civita- " tibus tàm Majoribus quàm Minoribus sub prætextu hoc vigore " Cautionis & Assecurationis præmemoratæ non impediatur. "

12. Ex Reſponſo Sacræ Regiæ Majeſtatis Nuncio & Secretario Generoſo Domino Samueli Targowski in Conventu Generali Terrarum Pruſſiæ Thorunii dato, die 11. Maji 1621.

„ PRætereà ſupplicant Sacræ Regiæ Majeſtati Veſtræ Status & Ordines, quandoquidem hæ Terræ Pruſſiæ in vim perpetuæ liberalitatis & prærogativæ à Divo Caſimiro Rege cæteriſque Succeſſoribus Regibus Poloniæ, itemque à Sacra Regia Majeſtate Veſtra Domino ſuo clementiſſimo ſecundùm Ejusdem Cautiones & Declarationes quamplurimas Libertatem ab omnibus exactionibus in terris & aquis per merita ſua erga Sereniſſimos Reges & Regnum Poloniæ præſtita in pactis unionis harum Terrarum cum Regno initæ obtinuerunt, & hactenus in perpetuo uſu & conſvetudine hujus libertatis aquaticæ fuerunt, navigationeque liberâ, nullâ differentiâ frumentorum naturarumque, uſæ ſunt, dignetur Sacra Regia Majeſtas clementiſſimè providere, ne in detrimentum ac præjudicium prædictarum libertatum Pruſſiæ navigatio libera incolis Pruſſiæ, & ſignanter Civitatibus tàm Majoribus quàm Minoribus ſub quocunque prætextu per Exactores Fordanicos impediatur, & ut Certificationes Magiſtratuum civilium, quibus teſtantur Cives mercium ſuarum dominium coram ſuo officio in vim veritatis loco juramenti corporalis recognoviſſe, nautasque & navigia ad eosdem pertinere, ab Exactore Fordanico recipiantur.

13. Ex Reſponſo Sacræ Regiæ Majeſtatis Nuntio Generoſo Andreæ Garczynski Notario Terreſtri Palatinatus Pomeraniæ à Statibus & Ordinibus Terrarum Pruſſiæ in Conventu Generali Mariæb. dato die 26. April. Anno 1650.

„ COepit haud ita pridem certum quoddam idque ſub obtentu Regiorum Sacræ Regiæ Majeſtatis Univerſalium cùm in aliis Cameris Regni telonicariis, tum verò præcipuè Dyboviensi de frumentis è Majori Polonia aliisve locis in Terras haſce devehi ſolitis exigi teloneum, quod cùm non niſi cum ſummo harum Terrarum

rum onere Jurriumque ac Immunitatum Earundem conjunctum «
esse possit dispendio, brevique intolerandam Terris hisce accelerare «
possit annonæ caritatem: humillimè Sacram Regiam Majestatem «
rogant Status & Ordines, eas ad Exactores Regiorum teloneorum «
benignissimè destinare dignetur Literas, quò ab hoc haud ita pri- «
dem jam inchoato exactionum superſedeant genere, nihilve quod «
ad aggravationem Equestris pariter ac Civilis conditionis hominum «
Juriumque harum Terrarum vergere possit imminutionem tentare «
ea in re præsumant. «

14. Ex Instructione Statuum & Ordinum Terrarum Prussiæ ad Comitia Regni d. 26. Jan. Anno 1652. Varsaviæ celebr. Magnificis ac Generosis Terrarum Nuntiis ex Conventu Generali Mariæb. d. 5. Januar. Anno eodem data.

NOn fine gravi universorum——Proindè Domini Nuntii om- «
nem impendent operam ut illud onus (exactionis ab indu- «
ctis & evectis mercibus) publicâ Lege abrogetur, Terræque hæ «
circa antiqua Privilegia, quorum vigore non nisi ad antiqvum te- «
loneum finitimum exsolvendum stringuntur, conserventur. «

Idem insertum *Instructioni Stat. & Ordin. ad Regni Comitia d. 11. Febr. An. 1654. Varsaviæ celebr. deputatis Dominis Nuntiis Terrarum ex Conventu Graudentinensi die 14. Januar. Anno 1654. data* §. *Compertum quoq; est ab iis mercibus, &c. &c.*

15. Ex Responso Sacræ Regiæ Majestatis Nuntio Per-Illustri & Admodum Reverendo Domino Adelberto Krzywkowski Præposito Culmensi Sacræ Regiæ Majestatis Sacretario à Statibus & Ordinibus Terrarum Prussiæ in Conventu Post-Comitiali Generali Mariæb. d. 23. Maji Anno 1653. dato.

MUltis equidem Terræ hæ Earundemque Incolæ ab Exacto- «
ribus teloneorum hactenus aggravati fuerunt præjudiciis, sed «

„ hoc quoque non poſtremum recenter adhuc iis evenit gravamen, „ quòd ab illis mercibus quæ perſolutó ſemel ab induƈtis in finibus Regni teloneo ad Terras haſce introduƈtæ ibidemque ex parte diſtraƈtæ ſunt, non aliter ac ſi Terræ hæ extra Regnum ſitæ eſſent, denuò telonium tanquam ab eveƈtis perſolvendum fuerit. Quà quidem ratione non modò rerum pretia in immenſum excreſcunt, & libera commerciorum facultas contra Jura & Privilegia Terrarum Pruſſiæ impetitur, verùm etiam eam id præ ſe ferre videtur ſpeciem, acſi in oneroſis tantùm Terræ hæ Regni Corpori adnexæ, in aliis verò commodum aliquod inferentibus negotiis ſeparatæ à Corpore Regni videantur. Cùm verò nulla alia præterquam finitima à Mercatoribus Terrarum Pruſſiæ vigore Earundem Privilegiorum exigi poſſint telonia: idcircò Sacram Regiam Majeſtatem humillimè obſecrant Status & Ordines, ut Exaƈtoribus teloniorum ejusmodi illicitam exaƈtionem à mercibus in Pruſſiam euntibus ac indè viciſſim redeuntibus ſeriò prohibere dignetur.

16. Laudum contra præjudicioſas Conſtitutiones.

„ Nos Status & Ordines Terrarum Pruſſiæ in moderno Conventu Generali congregati notum teſtatumque facimus quorum intereſt univerſis & ſingulis: Quòd cùm in proximè præteritorum Breſtiæ in Lithuania celebratorum Comitiorum Conſtitutionibus nonnulla, præſertim verò præjudicioſa Conſtitutio de teloneis ſub ſpecioſo titulo: O beſpieczenſtwie drog Kupieckich &c. tum & hujusmodi expreſſa verba, quæ Conventus Relationis & Coæquationem in Terras haſce inducere poſſent, inveniantur, quæ Juribus harum Terrarum è diametro ſunt adverſa, Nos iisdem Juribus nihil prorſus derogare, ſed firmiſſimè per omnia inhærere cupientes Manifeſtandum eſſe duximus, prouti præſentibus Manifeſtamus, nihil eorum quæ taliter contra mentem & intentionem noſtram præmemoratis Regni Conſtitutionibus inſerta ſunt, vel quomodocunque damnoſam Juribus harum Terrarum interpretationem patiuntur, iisdem Juribus ullatenus præ-

præjudicare posse vel debere. In cujus rei fidem Sigillum harum "
Terrarum præsentibus est subappressum. Datum in Conventu "
Generali Mariæb. die 23. Maji Anno 1653. "

17. Ex Responso Sacræ Regiæ Majestatis Nuntio Generoso Gerhardo Proenen Capitaneo Sobovicensi ex Conventu Generali Terrarum Prussiæ Mariæburgi d. 1. Sept. Anno 1661. dato.

QUantum attinet Telonei in aquis & terra per publicam Con- "
stitutionem introductionem, utique nihil magis Status & Or- "
dines in votis haberent, quàm ut Sacræ Regiæ Majestatis beni- "
gnissimæ hoc in casu morem gerere potuissent voluntati. Cete- "
rùm cùm præfati telonei exactio ita sit comparata, ut non so- "
lùm per eandem Jura, Privilegia, & Immunitates à Divis Præde- "
cessoribus Sacræ Regiæ Majestatis Terris hisce benignissimè de- "
lata & ab ipsa Sacra Regia Majestate Sua mediante juramento cle- "
mentissimè confirmata penitus convellantur, verùm etiam com- "
mercia omnia quocunque illa veniant nomine ex Terris hisce in "
totum proscribantur, adeò quidem, ut sic stantibus rebus nemi- "
ni imposterum domicilium hic figere suum animus erit: Proinde "
Sacram Regiam Majestatem Status & Ordines supplices veneran- "
tur & rogant, dignetur Terrarum harum pro innata clementia "
sua benignissimam habere rationem, atque eó considerató, quòd "
dicta telonei introductio non nisi cum extrema harum Terrarum "
Jurium ac Privilegiorum, nec non Earundem incolarum conjun- "
cta sit damno & exitio, eas clementissimè inire rationes, quò Terræ "
hæ ab intolerabili & præjudicioso hoc telonei onere liberæ & im- "
munes reddantur. "

Idem insertum *Responso Sacræ Regiæ Majestatis Nuncio Generoso Paulo Orzechovvski Aulico Sacræ Regiæ Majestatis ex Conventu Generali Terrarum Prussiæ Mariæburgi d. 6. Febr. Ao. 1662. dat. in verb.*
Cùm verò præter ea quæ Terras has vix non opprimunt mala haud "
postremum sit teloneorum in aquis & terrâ per publicam Consti- "
tutionem introductio. &c. &c. "

18. Ex Instructione Statuum & Ordinum Terrarum Prussiæ ad Comitia Electionis pro 2. Maji prope Varsaviam celebranda Illustribus, Magnificis ac Generosis Dominis Nuntiis ex Conventu Generali Graudentinensi die 11. Febr. Anno 1669. data.

„QUoniam Mercatores Terrarum Prussiæ contra fundamentalia Earundem Jura & Privilegia indebitis teloneis terrestribus & aquaticis non tantùm Diboviæ & Fordani ab Exactoribus aggravantur, & tàm ibidem quàm alibi in Regno, pariter ut Incolæ Regni telonia solvere compelluntur, sed etiam in ipso Regno pro extraneis computantur, & similiter ut peregrini & extranei Mercatores merces suas & bona teloniis redimere coguntur: ut omnia telonia per Constitutiones Regni abrogentur, & Incolæ Terrarum, imprimis verò præfati Mercatores, cum mercibus & bonis suis in & extra has Terras per totum Regnum ab omnibus Daciis, teloneis, nec non oneribus cujuscunque nominis, tùm & Legibus Regni non sine summa Terrarum harum ac Civitatum onere sancitis, inductis & evectis, tàm in aquis quàm in terra constitutis, in omnibus stratis & viis immunes conserventur, & ad nulla alia telonea persolvenda, quàm quæ in antiquis & extremis Regni limitibus, exterorum Principum terras attingentibus, pro more veteri dependuntur, secundùm pacta & privilegia Terrarum Prussiæ adigantur, utque ad percipienda eadem Instructaria publicè affigantur, nec in duplo aut triplo ultra præscriptum Instructariorum tàm Cives quàm advenæ circa exactionem eorundem bonam monetam recipiendo atque viliorem in Thesaurum inferendo depactentur, tùm ut cumprimis Camera Duboviensis, quæ non mediocriter Terras halce Earumque Incolas exactionibus suis aggravat, penitus tollatur & abrogetur, neque Laniones Thorunenses contra Privilegia à Serenissimis Poloniæ Regibus sibi indulta ad exsolvendum teloneum de pecoribus ad mactandum coëmptis cogantur, multò minus Decretum ratione telonei aquatici generalis cum præjudicio præfatorum pactorum ac Privilegiorum contra Civitates harum Terrarum in Comitiis promulgatum ad executionem deducatur.

Idem

Idem repetitum *in Instructione Statuum & Ordinum Terrarum Prussia Nuntiis ex Conventu Generali Graudenti die 4. Aprilis Anno 1674. celebrato ad Com. Regni ad Electionem Novi Regis Varsaviam pro die 20. ejusdem Mensis indicta data. art.* Quoniam Mercatores &c.

19. Ex Responso Sacræ Regiæ Majestatis Nuncio Illustri & Magnifico Domino Vladislao Casimiro Guldenstern, Capitaneo Stumensi ab Ordinibus Terrarum Prussiæ in Conventu Generali Mariæb. die 8. Julii, 1671. dato.

TEloneum Generali uti fundamentalibus Terrarum Prussiæ Juribus ac Privilegiis adversatur, atque propterea Status & Ordines absque notabili jurium læsione in illud consentire haud potuerint, multò minus obstantibus Privilegiis de libertate harum Terrarum à teloneis disponentibus earum Cives ac incolæ ad illius solutionem stringi compellique possint: ita Sacr. Reg. Majestatis Status ac Ordines solennes agunt referuntque gratias, quòd benignissimâ præmemoratorum Jurium & Privilegiorum habitâ ratione Regiam Autoritatem apud Judicium Tribunalitium Radomiense interponendo Decreti eô nomine promulgati rigorum clementissimè avertere non est dedignata. Ne autem Status & Ordimes Reipubl. defuisse videantur, *non in vim telonei alicujus à quo liberi ac immunes existunt, sed ex mero erga Rempublicam amore subsidium charitativum in hocce Conventu per agrarias & accisas* conferendum decreverunt. " " " " " " " " " " " " "

Conf. *Laudum contra Tribunalis Radomiensis Remissam ad Judicia Comitialia Civitatis Gedanensis, & Decretum contra Mercatores Thorunenses in puncto telonei à Statibus & Ordinibus Terrarum in Conventu Generali Mariaburgi 8. Julii 1671. sancitum.* Item: *Responsum Sacra Regia Majestatis Nuntio Per-Illustri & Reverendissimo Domino Georgio Denhoff Abbati Citoviensi, Canonico Cracoviensi, Praposito Petricoviensi Sacra Regia Majestatis Secretario à Statibus & Ordinibus Terrarum Prussia in Conventu Generali Mariaburgensi d. 16. Sept. Anno 1680. datum, art. Ne Civitates Prussia Majores ullas*

ad

ad Fordanum contra Jura publica, sua propria, ac commerciorum in scaphis pariter & mercibus secundò vel adversò flumine defluitandas paterentur violantias atq; extorsiones, &c. &c.

20. Laudum contra Exactores Fordanenses.

„ NOs Status & Ordines Terrarum Prussiæ in moderno Con-
„ ventu Generali Mariæburgi congregati Universis & singulis
„ quorum interest notum testatumque facimus. Quandoquidem
„ justæ querelæ in sinum nostrum delatæ sunt, qualiter nimirum
„ teloneorum Reipublicæ in Fordan Exactores contra expressa ha-
„ rum Terrarum, Civitatum & præcipuè commerciorum jura, Pri-
„ vilegia ac Immunitates, ipsiùsque Equestris Ordinis propria com-
„ moda, limites modestiæ excedentes, mercatores & naviculares
„ Thorunenses æquè ac Gedanenses adversò secundóque flumine
„ navigantes insolitis extorsionibus & depactationibus onerare, sca-
„ phas ipsorum justò longius in enorme damnum & sæpenumero
„ periculum detinere, ac id genus novis subindè exactionibus vio-
„ lentiisque opprimere, non attentis Curiæ Regni Nostraque an-
„ teriori requisitione, laxatis sibi omnis licentiæ frenis præsumant:
„ Idcircò autoritate præsentis Conventus illicitis ejusmodi attenta-
„ tis repagulum ponentes sancimus, ac omnibus & singulis harum
„ Terrarum Incolis, quorum ut salvus & non præpeditus sit com-
„ merciorum usus interest, hanc concedimus facultatem, ut sicubi
„ eos abhinc contra Jura præmemorata à dictis exactoribus per vim
„ vel depactationibus aggravari contigerit, vim vi repellant, atque
„ adversus ausus eorundem paribus defensionum mediis jura, mer-
„ ces, atque navigia sua tueantur. Quó nomine prætactis incolis
„ Prussiæ nos Status & Ordines omnimodam evictionem hisce pol-
„ licemur. In præmissorum fidem Sigillum Terrarum Prussiæ præ-
„ sentibus subappressum est. Actum & datum Mariæburgi die 16.
„ Septembr. Anno 1680.

21. Ex Responso à Sacra Regia Majestate Ablegatis Statuum & Ordinum Terrarum Prussiæ è Cancellaria majori Regni dato Javoroviæ die 22. Martii Anno 1682.

Depa-

DEpactationes ab Exactoribus telonei Fordanensis, uti in contrarium Legum & Consvetudinum indebitè fieri solitas abrogat Sacra Regia Majestas, animadversionique Magnifici Thesaurarii Regni seriò committit, ita ut illæso cujusvis jure mercimonia transportari & viciniratis jura juxta veterem usum debitè possint conservari. "

22. Ex Instructione Statuum & Ordinum Terrarum Prussiæ ad Comitia Regni Varsaviam à Sacra Regia Majestate ad diem 16. Junii Anni 1699. indicta Dominis Nuntiis ex Conventu Earum Terrarum Generali Graudent. d. 19. Maji Anni Ejusdem data.

UT Incolæ Prussiæ, imprimis verò Mercatores, ab omnibus datiis, teloneis, nec non oneribus cujuscunque nominis, tum & Legibus Regni non sine summo Terrarum harum ac Civitatum onere sancitis, ab inductis & evectis tàm in aquis quàm in terra constitutis, in omnibus stratis & viis immunes conserventur, & ad nulla alia persolvenda telonea, quàm quæ in antiquis & extremis Regni limitibus Exterorum Principum Terras attingentibus pro more veteri dependuntur, secundùm Pacta & Privilegia Terrarum Prussiæ adigantur —— tum & Duboviensis inprimis reliquæque Cameræ contrà jura institutæ, quæ Terras hasce earumq; incolas exactionibus suis non mediocriter aggravant, penitus tollantur & abrogentur. "

VIII.

Ad eand. pag. 1185. verb. Audivi in Generali Prussiæ Conventu hæreticam (si dicere licet) quia contra Statum propositionem Nuncii Gedanensis: Constitutiones Regni minimè Nos obligant.

OPtime dixit, *si dicere licet*, quia non licere dicere, sed verissimam & Statui ac fundamentalibus Juribus Provinciæ Prussiæ maximè conformem, nec à Nuncio Gedanensi tantùm

tùm, ſed ab omnibus cordatis & ingenuis Terrarum Pruſſiæ Filiis & Civibus uno ore aſſertam & toties propugnatam eſſe Propoſitionem hanc: *Conſtitutiones Regni Pruthenos minimè obligare, niſi ab iisdem unanimiter in Conventibus Terrarum Pruſſiæ Generalibus recepta ſint*, tàm notum eſt quàm quod notiſſimum. Hinc tot Proteſtationes contra Conſtitutiones Regni tum ab univerſis Statibus tum à Civitatibus interpoſitæ. Hinc Obligatio Nuntiorum in Conventibus Generalibus ad Comitia Regni Deputatorum Inſtructioni publicæ inſerta, ne quid novi ſuper Pruthenos ibidem ſtatui permittant, ſed Jura & Immunitates Provinciæ promoveant, defendant, atque Gravamina apud Regem & Rempublicam removeant. Hinc liberrimum illud jus ſciſcendarum & modificandarum Contributionum, quò jam ſub Crucigeris gaviſæ ſunt Terræ & Civitates Pruſſiæ, teſtante Conſtitutionum publicarum *Anno 1430. Dominicâ Oculi Elbingæ* ſancitarum *articulo 4to*; apud Caſparum Schützium *Chron. Rer. Pruſſic. lib. 3. fol. 118* quòque inter reliqua ſemper ſalvò juxta diſerta Privilegii Incorporationis verba Terræ Pruſſiæ Regibus Poloniæ benevolè & ſpontaneè ſeſe ſubmiſerunt, ita ut nulla Contributio invitis vel inſciis ſine unanimi Statuum & Ordinum in Conventibus Terrarum Pruſſiæ Generalibus declarato aſſenſu imponi, vel modus contribuendi hic aut alius præſcribi poſſit. Teſtantur id ex innumeris aliis immotæ veritatis & fidei documentis ſequentia. Et quidem, ſi antiquiora reſpiciamus, ſufficiet adduxiſſe.

1. Ex Reſponſo Sacræ Regiæ Majeſtatis Nuncio à Statibus & Ordinibus Terrarum Pruſſiæ dato in Conventu Graudenti Feſto S. Michaelis Anno 1562. habito.

„Nullus Anteceſſorum Noſtrorum unquam Statuta Regni ſive „privatim ſive publicè approbavit. Et quò minus etiam nunc „poſſimus ea vel approbare vel iisdem Nos ſubmittere, obſtat Nobis „non ſolùm Patriæ charitas, libertatisque, quâ nihil in his terris „eſt pretioſius, aſſertio, ſed etiam perjurii infamia & DEI vin„dicta quæ omnibus pactorum violatoribus propoſita eſt. Ut taceamus

ceamus plurimas alias gravissimas rationes, quæ tanti sunt momenti, ut speremus Sacram Regiam Majestatem Suam etiam Nobis volentibus ab iisdem libertatibus recedere minimè concessuram esse. "

2. Ex Instructione Nuntiis Terrarum Prussiæ ad Comitia Regni ex Conventu Graudenti Festo S. Michaelis Anno 1562. celebrato à Statibus & Ordinibus data.

NEgotium Nobis esse eum nemine dicent, nisi cum ipsa Serenissima Majestate illius; à cujus Divis Antecessoribus quemadmodum hæc quæ hactenus obtinemus Privilegia ac Libertates intercedentibus certis pactis & fœderibus concessa nobis sunt: ita non putare Nos cum quoquam alio de iisdem Privilegiis agendum Nobis esse, quàm cum Serenissima Illius Majestate tanquam legitimo Regni Successore. Adstipulari quoque nobis manifestè harum Terrarum communis Privilegii verba, ut nimirum Regia Majestas in omnibus causis notabilibus has Terras concernentibus cum communi Consiliariorum consilio (non inquit Regni Poloniæ, sed) Terrarum prædictarum tractat, terminet, ac definiat. Extare quoque ejus Consultationis cum Consiliariis harum Terrarum tantùm habitæ Divorum illius Majestatis Antecessorum exempla non modica, qui vel præsentes in secessu nobiscum agere juxta tenorem Privilegii, vel ad Generales Terrarum binos annuos Conventus de occurrentibus negotiis per Internuncium aut Literas suas nobiscum communicare consilia consveverunt. "

Et paulo post:

Ea unio in qua hactenus cum inclyto Poloniæ Regno individuò quodam nexu conjuncti unitique tot annos, aut potiùs secula, pacatè vivimus, & in qua toties cùm verbis tùm scripto constantissimè Nos perpetuò permansuros declaravimus, nihil in se habet vel ambiguitatis vel controversiæ, accedente ad eam Serenissimorum Regum consensu ac longissimi temporis usu & vetustissimâ consvetudine, quæ alioquin certissima est rerum dubiarum "

" interpres. Neque aliam unionem quàm eam in quâ hactenus sta-
" mus aliò sensu extorqueri à nobis aut etiam concedi posse, ut
" nimirum pari cum Incolis Regni jure vivamus pariaque cum eis
" onera subeamus, sæpissimè significavimus. Neque quempiam eam
" unionis innovationem unquam moliturum arbitrati sumus, nisi
" eum, qui Jura & Privilegia Terris Prussiæ à Serenissimo Majestatis
" Illius Avo Divo Casimiro præcedentibus certis pactis concesso pror-
" sus velit eversa ac omninò sublata. Qui quidem Pientissimus REX
" Casimirus attentâ harum Terrarum tam liberali ad Regnum acces-
" sione, perpensis præclarissimis meritis ac spontanea deditione Ma-
" jorum Nostrorum, perpensó etiam quòd Regni leges Terris Prussiæ
" haud in omnibus congruerent, quemadmodum una lex omnibus
" locis ac gentibus, cùm singulæ Gentes ac Provinciæ suas quasdam
" habeant proprietates, non planè convenit. Is, inquam, Pientis-
" simus REX, has Prusiæ Terras à lingvâ, moribus, legibus & juri-
" bus Gentis Polonicæ prorsus distinctas alienasque non solùm pri-
" stinis suis juribus, libertatibus, & monumentis, quæ à retro Prin-
" cipibus spiritualibus & secularibus obtinuerunt, perpetuò uti jus-
" sit, verùm etiam conservationem eorum inviolatam sanctè eis pro-
" misit —Haud dubiè, si voluisset idem Serenissimus REX Casimi-
" rus, Nos Regni Poloniæ legibus ac juribus teneri, non pepigisset
" tam disertè de pristinis harum Terrarum juribus, quibus hactenus
" vivimus, perpetuò obtinendis.—Neque est mirum aut insolitum
" in amplissimis Regnis singulas Provincias, etsi unius sint Corporis
" membra, singularibus uti juribus ac legibus, cujus rei quamplu-
" rima possent aliorum Regnorum afferri exempla, & ex ipsa hu-
" manæ figuræ formatione non ineptè demonstrari potest, si oculo-
" rum, si lingvæ, si manuum ac pedum, quæ etsi unius corporis
" membra sunt, distinctas tamen ipsorum leges & officia consi-
" deremus.

3. Ex Responso Sacræ Regiæ Majestatis Legato Regio ad certa capita ab Eodem Ordinibus Civitatis Gedanensis in Prætorio die 28 Julii Anno 1578. proposita à Magistratu cæterisque Ordinibus dato.

Ad

AD publicas in ipso Regno laudatas & ab ejus incolis compro- «
batas Contributiones quod attinet, non tantùm hujus Civi- «
tatis, sed Terrarum Prussiæ Ordines quoquè, sæpius jam ostende- «
runt, illas Contributiones juribus & Privilegiis harum Terrarum «
maximè adversari, cùm ex Plebiscito Culmensi aliisque Terrarum «
Prussiæ immunitatibus constet, quòd ab omnibus exactionibus, «
daciis atque oneribus Prutheni immunes haberi debeant. Neq; «
Magistèr aut Ordo Theutonicus ullô unquam tempore citra ha- «
rum Terrarum Prussiæ Ordinum specialem & spontaneum con- «
sensum vel pecuniam, vel ullum aliud onus quodcunque, Pru- «
thenis indicere potuit. In qua libertate & prærogativa aliisque «
Juribus & Privilegiis, quibus sub antiquis Dominis Terræ Prus- «
siæ gaudebant, Divus Casimirus Rex, quando Prussia excussô tyran- «
nicô Cruciferorum jugô inclyto Poloniæ sceptro sponte accessit, «
Pruthenos se cum Serenissimis suis Successoribus perpetuò conser- «
vaturum esse sanctè promisit. Cui quoque Regis promissioni «
insistentes reliqui Divi Poloniæ Reges, eam suis Diplomatibus ex «
ordine successionis confirmarunt, & Terræ Prussiæ in continuô «
illo usu longè suprà hominum memoriam fuerunt, & penes eun- «
dem ab omnibus Divis Regibus conservati sunt, cùm ejus inter- «
pellatio inæquabilis admodum censeri potuisset. Quæ consve- «
tudo, quam optimam legum atque Privilegiorum interpretem esse «
nullum est dubium, ad hæc nostra usque tempora semper obser- «
vata fuit, ut quoties de pecuniariô subsidio aliisve de gravibus «
negotiis has Terras concernentibus Pruthenos compellare volue- «
runt, id non in Regni Comitiis statuerent, sed suos Oratores ad «
Generales Prussiæ Conventus, juxta earum Terrarum Constitu- «
tiones & hactenus observatas Leges, ablegarent, ut de ejusmodi «
rebus necessariis deliberationes necessarias instituerent, ubi illi «
pro fidelium subditorum officio, ac facultatum suarum ratione, in «
se nihil desiderari passi sunt, & nihil eorum receperunt, nisi «
quod ad eum modum constitutum atque determinatum fuisset. «
Cum inclyti verò Regni Constitutionibus, Statitus & Comitio- «
rum Decretis nihil unquam commune habuerunt. Neque enim «

 veri- «

„ verisimile est Terras Prussiæ Magistri & Ordinis Theutonici ju-
„ gum excutientes, quó in exactionibus premebantur, ad omnia
„ onera Regni ferenda, nulló eorum accedente consensu, tàm
„ serviliter sese obligare voluisse, cum id ne minimus quidem Regni
„ Poloniæ Palatinatus faciat, sine cujus expressó consensu & ap-
„ probatione nihil in ejusmodi rebus constitui posset, nedum ut
„ id sine omnium harum Terrarum expressô etiam consensu & vo-
„ luntate fieri possit ac debeat. Ex quibus omnibus non obscurè
„ apparet, Contributionis illud onus, in Terris Prussiæ antehac nun-
„ quam exauditum, neque ab eó tempore, quó se inclyto Regno
„ Polonico submiserunt, supra centum annorum spatium contra ea-
„ rundem Ordines usurpatum fuisse, neque ullum exemplum exstat,
„ vel in summa Reipublicæ necessitate Pruthenos cum Gente Po-
„ lona unquam simul ex Decreto Regni contribuisse, aut ad ali-
„ qua onera cum Regnicolis æqualiter præstanda adductos fuisse:
„ Verùm semper is mos, ea consvetudo observata fuit, quam nunc
„ ipsa Majestas Regia, Dominus noster clementissimus, cognitis in
„ præteritis Varsavienſibus Comitiis Terrarum Prussiæ Privilegiis &
„ libertatibus clementissimè secuta est, misso ad præteritum Grau-
„ dentinensem Conventum suo Internuncio & Oratore Generoso
„ Joanne Budzinio, qui Ordinibus harum Terrarum periculorum
„ magnitudinem exposuit, & Contributionem suó, eoque ordina-
„ rió, modo nomine Majestatis Regiæ postulavit. Etenim quanam
„ ratione & æquitate, sub nudo Decreti aut Constitutionis tituló,
„ Ordinibus invitis obtrudi potest, quod contra pacta Conventa,
„ literisque ac Sigillis multipliciter firmata ac Sacramenti religione
„ roborata, denique contra id, quod semel utrinque atque huc-
„ usque ratum gratum & firmum habitum fuit, Ordinibus semper
„ contradicentibus, protestantibus & repugnantibus, nulla ipsorum
„ præcedente culpâ aut meritis, nullâ denique æquabili ratione aut
„ modo, in ipsos volentes nolentes statutum, nec unquam ab ipsis
„ receptum est? Certè quidem quod semel in aliquem rectè atque
„ ordine, ex merito præsertim, collatim est, ejus auferendi nulla
„ est æquabilis ratio; Et quid tandem firmum & stabile in rebus
huma-

humanis sit futurum, si ea, quæ semel pactis conventis firmata sunt, quocunque prætextu alterâ parte invitâ retexi debeant? Id enim si fieri posset, quemadmodum se urgeri quidem quotidiè Ordines non obscurè perspiciunt, non vident, quis tandem Privilegiorum & libertatum usus futurus sit. Nam si in unó fas erit, eos sub illó prætextu Privilegiis & libertatibus exuere & privare, necesse fuerit omnium similem rationem esse, & ita nullis amplius opus erit verbis, eâ ratione omnium Privilegiorum usus facilè cessabit. Et licet Ordinibus objiciatur: Quod se Majores ipsorum Serenissimis Poloniæ Regibus ad opem, pra sidium, consilium & præsidium in quibuscunque necessitatibus ferendum obstrinxerint, constat tamen id non simpliciter sed juribus ipsorum semper salvis factum fuisse. Quod & ipsum & consvetudo longe supra hominum memoriam observata facilè comprobat, ita ut non existiment eam esse vel Majestatis Regiæ & Dominorum Consiliariorum sententiam, ut eos nulla de causa Privilegiis & Libertatibus non facultatibus tantùm, sed sangvine etiam partis privare constituerint. Quamvis etiam dicatur: inter jus commune seu publicum Regni & jus privatum differentiam esse, & quòd privatorum jus juri publico derogare nequeat, non vident tamen Ordines, quomodo eâ ratione omnia Privilegia & pacta Conventa elevari & everti possint, cùm nemo inficias ire queat harum Terrarum jura jura publica etiam esse, non quidem Regni, sed harum Terrarum Prussiæ tamen. Etiamsi enim Privilegium lex privata dicatur, tamen harum Terrarum leges privatæ communi consensu & approbatione leges publicæ harum Terrarum factæ sunt, quibus sub prætextu juris communis Regni nihil derogari potest, alioquin nulla Terra, nulla Provincia, sibi jus & libertates suas salvas retinere & conservare posset, si jus publicum Regni ad eum modum extendi, & pacta Conventa, quasi nunquam in rerum natura extitissent, obliterari debebant: Id verò nunquam in aliquó Regnó cognitum, sed contrarium potiùs exauditum fuisse. Etiamsi jura communia habeant, quamlibet tamen Provinciam penes sua etiam jura privata, quæ cuilibet provinciæ

„ vinciæ publica ſunt, ſine ulla interpellatione conſervari, & eo-
„ rum vigore ad Contributiones, & alia onera ferenda, ex æquo &
„ bono & non alio ordine vel ratione cogi, quemadmodum ejus rei
„ multa exempla Provinciarum Regni Galliæ, inferioris Germaniæ,
„ & earum, quæ ſub ditione Cæſarea ſunt, adduci poſſent, quæ
„ quidem Regnis illis incorporatæ ſunt, ſed tamen peculiaribus
„ juribus, Privilegiis, libertatibus & conſvetudinibus utuntur &
„ fruuntur, & ſupra illorum præſcriptum nulla ratione aggravan-
„ tur. Quemadmodum etiam harum Terrarum & hujus Civitatis Or-
„ dines ſuprà centum annorum ſpatium penes ſua jura & libertates,
„ quæ per illam conſvetudinem longævam ſatis ſuperq; confirmata
„ ſunt, ſine aliquâ interpellatione conſervati fuerunt, & non vident,
„ quâ ratione nunc tandem ſub prætextu Decretorum & Conſtitu-
„ tionum Regni ab illorum uſu repelli debeant, quin potiùs eam
„ certisſimam ſpem conceperunt, quemadmodum non tantùm omnes
„ Regni Ordines in univerſum, ſed quilibet etiam pro ſe privatim,
„ acerrimi ſunt libertatum ſuarum propugnatores, ita etiam non
„ paſſuros eſſe, ut huic Civitati quicquam eâ in parte decedat, ſed
„ ita cum ejus Ordinibus acturos, quemadmodum ſecum agi cupiant.
„ Atque ea propter Majorem in modum & enixo ſtudio ſubmiſſe ro-
„ gant, dignetur Majeſtas Regia eorum omnium clementiſſimam ra-
„ tionem habere, & non permittere, ut hæ Terræ & hæc Civitas
„ contra jura, Privilegia, libertates & antiquas bene receptas Con-
„ ſvetudines, quas ſe ſartas tectas huic Provinciæ conſervaturum eſſe,
„ verbô ſuo Regiô non tantùm ſæpius polliceri, ſed huic etiam Civi-
„ tati ſeorſim confirmare benigniſſimè dignata fuit, ullâ ratione poſt-
„ hac aggraventur. Etenim ut hactenus in conferendis & contri-
„ buendis ad poſtulata Sereniſſimorum Regum Poloniæ facultatibus
„ ſuis fidele ſemper ſuum oſtenderunt ſtudium, ut affirmare poſſint,
„ ſe hac in parte Regni incolis, pro virium ſuarum proportione, nun-
„ quam fuiſſe ſecundos, ita tùm in hac parte, tùm aliis in rebus, Ma-
„ jeſtati Regiæ porrò fidem & obſequii promptitudinem ſalvis ſuis ju-
„ ribus ex animo & pro viribus ſunt declaraturi, ut nihil in ipſis, quod
„ fideles ſubditos decet, ſit deſideratum.

4. Ex Responso Legat. Reg. à Statibus & Ordinibus Terrarum Prussiæ in Conventu Culmensi Anno 1579. d. 14. Febr. dato.

CUpere Reipublicæ suô eôque legitimô modô pro facultatum " suarum & justæ proportionis ratione subvenire, non est se- " parationem à Regno quærere, sed subjectionem potiùs suam & " fidem Majestati Regiæ debitam humillimè testari. Neque existi- " mant eâ re Sacræ Regiæ Majestatis animum offendi posse, cùm is " non offendat qui officium suum facit, sed qui admonitus nullis " adductus legitimis rationibus officium facere detrectat. "

5. Ex Responso Sacræ Regiæ Majestatis Aulico & Nuntio Generoso Nicolao Kostka in Conventu Generali Terrarum Prussiæ à Statibus & Ordinibus Terrarum Prussiæ Mariæburgi d. 9. Decembr. Anno 1621. dato.

QUamvis Statuum & Ordinum Regni amplissimam Autorita- " tem Status & Ordines Terrarum Prussiæ magni faciunt, & " existimant seriò prospiciendum, ut Regiæ voluntati & Statuum " Ordinumque Regni desideriô quam proximè & quàm maximè " fieri potest, Juribus Terrarum Prussiæ semper salvis, obtempere- " tur, tamen in quas Constitutiones nec ipsi, nec Majores eorum " unquam consenserunt, ab earum executione sibi non metuendum " esse putant.——Ceterum de Regni quoque defensione & externis " propulsandis periculis Status & Ordines promptum juvandæ Reipu- " blicæ studium suum declarare cupientes, unanimi voluntate, non " metu pœnæ coacti sed spontaneè, neque ullius neglecti officii " causâ, verùm eô attentô, quòd in proximè præteritis Comitiis " Nuntii Terrarum Prussiæ Contributionis rationem ad totum Ordi- " nem Equestrem receperunt, & de suo juvandæ Reipubl. faculta- " tibus propriis studio spem fecerunt, in præsenti Conventu Con- " tributiones seu subsidia etiam pro viribus majora consentientibus " animis laudaverunt, licet multis ac magnis horum temporum ca- " lamitatibus adeò sint hæ Terræ exhaustæ, ut ipsa rerum inopia " ab hoc obsequii atque officii genere illos excusare posset. "

6. Ex Responso Sacræ Regiæ Majestatis Nuntio & Secretario Generoso Alberto Golinski in Conventu Generali Terrarum Prussiæ Mariæburgi 4. Januarii Anno 1623. dato.

„ DOmini Consiliarii accedente Minorum Civitatum Internun-
„ tiorum sententià atque voluntate decreverunt, quòd ea quæ
reliquis totius Regni Statibus & Ordinibus in proximè futuris Co-
„ mitiis ad præsentem Reipublicæ Statum atque dignitatem perti-
„ nere videbuntur ex suo loco cognoscere & sententias suas conferre,
„ fidemque erga Sacram Regiam Majestatem & in Rempublicam
„ studium contestari, denique Contributionis, si quæ fortè laudan-
„ da necessariò foret, totum negotium, nempè tàm sciscendarum,
„ quàm modificandarum, more Majorum hactenus observató ad
„ Conventum in his Terris post Comitia proximè subsecuturum re-
„ ferre, & circa præmissa pro honore ac statu Sacræ Regiæ Maje-
„ statis, juxta præscriptum juramenti à se præstiti, sincerè ac con-
„ stanter consulere velint.

7. Ex Laudo Protestationis Statuum & Ordinum Terrarum Prussiæ contra præjudicia in Constitut. Comitiorum Electionis Anno 1648. Varsaviæ habitorum extantia.

„ NOn levius Terris hisce hóc ipsó quoque illarum censemus
„ præjudicium, quòd inter Declarationes reliquorum Palatina-
tuum Regni ratione Contributionum pro necessitate Reipublicæ
„ sancitarum insciis Palatinatuum Prussiæ Nuntiis, imò dissensum
„ suum interpositá in contrarium publicá manifestatione in fine Co-
„ mitiorum contestantibus, specialis Palatinatui Culmensi super su-
„ stentandis impensis Palatinatûs mille ducentis militibus in subsi-
„ dium Reipublicæ à Terris hisce in Regnum missis, nec non con-
„ tribuendis duobus fumalibus afficta & typis publicis excusa fue-
„ rit declaratio. Quæ tamen declaratio cùm per Dominos Nun-
„ tios prædicti Palatinatus Culmensis non Instructione tantùm à Sta-
tibus

tibus & Ordinibus Terrarum ad præfata Electionis Comitia iisdem «
data, sed & Juribus ac Consvetudinibus modoque contribuendi «
ab immemoriali tempore in Terris Prussiæ jugiter observato & huc- «
usque continuato obstantibus, dari in publico nullâ ratione po- «
tuit. —— Idcircò non minùs de nullitate ac vitio præmissorum so- «
lennissimam hisce interponimus protestationem, Nosque prædi- «
ctæ Constitutionis declarationem nullatenus suscipere ac eandem «
agnoscere velle manifestamus. —— Actum & datum Graudenti in «
Conventu Generali d. 30. Decembr. Anno 1648. «

8. Ex Responso Sacræ Regiæ Majestatis Nuntio Per-Illustri & Admodum Reverendo Domino Felici Rzeszonski Plocensi, Culmen. Canonico Sacræ Regiæ Majestatis Secretario à Statibus & Ordinibus Terrarum Prussiæ in Conventu Generali Mariæburg. d. 24. April. Anno 1651. dato.

COæquationis in Contributionibus publicis cum Regnicolis ne- «
gotium quod attinet, vel ipsa liberrimæ harum Terrarum ad «
Regnum accessionis monumenta abundè testantur, Terras has ad «
alias, quàm quæ Juribus ac Privilegiis earundem, quibus salvis «
& illæsis spontaneò motu, non verò jure belli multove Regnico- «
larum sangvine partæ, ad Regnum accesserunt, quod veterum «
Annalium incorrupta fides luculenter docet, consentanea sunt, «
nequaquam stringi posse onera. Neque verò etiam in ista sciscen- «
dorum tributorum liberrimâ potestate Terræ hæ unquam defuere «
necessitatibus Reipublicæ, quin ea potiùs subindè, vel proximis «
etiam abhinc annis, contulêre subsidia, quæ servatâ proportione «
debitâ laudatas in Regno contributiones facilè æquaverint. Id «
quod in futuris Deo dante Comitiis Sacræ Regiæ Majestati per «
Nuncios suos deducere Statibus & Ordinibus in proclivi erit. «

9. Laudum Manifestationis contra præjudiciosa sancita Comitiorum Varsaviensium Anno 1652. d. 23. Julii inchoatorum præsertim quoad Thesaurariatum & Coæquationem

„ NOs Status & Ordines Terrarum Prussiæ in moderno Conventu
„ Generali Graudentinensi congregati notum testatumque facimus. Quòd cùm in proximè præteritorum Comitiorum Constitutionibus nonnulla inveniantur quæ juribus harum Terrarum, præsertim quoad Thesaurariatum & Coæquationem, contravenire videntur: Nos iisdem juribus nihil prorsus derogari, sed firmissimè per omnia inhærere cupientes, manifestandum esse duximus prout præsentibus manifestamus, nihil eorum, quæ contra mentem & intentionem nostram præmemoratis Regni Constitutionibus inserta sunt, aut quomodocunque damnosam Juribus harum Terrarum interpretationem patiuntur, iisdem Juribus præjudicare posse ullatenus non debere. Hac nostra publica Manifestatione mediante. In cujus rei fidem Sigillum harum Terrarum est subappressum. Actum & datum in Conventu Graudentinensi die 21. Octobr. Anno 1652.

Huc pertinet *Laudum Manifestationis contra prajudiciosas Constitut. Comitior. Anni 1653. Brescia in Lithuania 24. Mart. celebrat. de teloneis, coæquatione &c. in Conventu Generali Mariaburg. die 23. Maij Anno 1653. sancit. & suprà num. VII. artic. 16. insertum Laudum Manifestationis contra prajudiciosas Constitutiones Comitiorum Varsav. 9. Junii 1654. celebrat. tàm sub titulo Tribunal Radomski, quàm aliis sancitas, in Conventu Generali Mariaburg. d. 19. Julij 1655. publicatum.*

10. Laudum contra novas accisas de Comestibilibus & Consumptibilibus.

„ NOs Status & Ordines Terrarum Prussiæ in moderno Conventu Generali congregati notum testatumque facimus universis & singulis quorum interest. Quòd postquàm præjudiciosæ quædam cum Illustrissimi Domini Regni Thesaurarii Supremi subscriptione universales literæ in publicum divulgantur, juxta quarum tenorem cùm in bonis Regalibus ac Spiritualibus, tum Minoribus quoque Civitatibus, certa quædam à coctione cerevisiæ, ut & alia (de commestibilibus & consumptibilibus) in his Terris inusitata exiga-

exigatur contributio, illa verò non nisi in summum Terrarum harum «
jurium ac libertatum vergat præjudicium: Proindè Nos Terrarum «
harum Jurium ac Privilegiorum indemnitati consulentes, haud «
quempiam ex Statibus & Ordinibus huic oneri subesse, atque Ci- «
vitates minores illud afficere debere cavemus. In præmissorum «
fidem Sigillum harum Terrarum est subappressum. Actum & da- «
tum Culmæ in Conventu Generali die 25. Augusti Anno 1660. «

11. Laudum Manifestationis contra nonnulla in Constitut. Comitiorum Regni Varsaviæ d. 17. Martii 1659 comprehensa.

NOs Status & Ordines Terrarum Prussiæ in moderno Conventu «
Generali Culmæ congregati notum testatumque facimus quo- «
rum interest universis & singulis. Quòd cùm in proximè præte- «
ritorum Varsaviæ celebratorum Comitiorum (ad quæ ob non ha- «
bitum Conventum Terrarum Prussiæ Generalem Ante-Comitia- «
lem Nuncios cum Instructione ablegare Nobis haud licuit) Con- «
stitutionibus nonnulla inveniantur quæ harum Terrarum Juribus «
omninò sunt adversa & præjudiciosa, præcipuè sub Tit. Clo Ko- «
ronne, O Menicy, Coæquatio & aliis: Ideò Nos Juribus harum «
Terrarum nihil derogari sed firmissimè inhœrere cupientes ma- «
nifestandum esse duximus, prout præsentibus manifestamus, «
nihil eorum, quæ taliter præmemoratis Regni Constitutionibus «
inserta sunt, vel quomodocunque damnosam Juribus harum Ter- «
rarum interpretationem patiuntur, iis Juribus nullatenus præjudi- «
care posse vel debere. In cujus rei fidem Sigillum harum Terrarum «
præsentibus est subappressum. Actum & datum in Conventu Ge- «
nerali Culmæ die 5. Octobr. Anno 1660.

12. Laudum contra novam Accisam.

NOs Status & Ordines Terrarum Prussiæ in præsenti Conventu «
Generali congregati notum testatumque facimus universis «
& singulis quorum interest. Cùm nihil magis harum Terrarum «
saluti atque integritati conveniens esse ducamus, quàm si quid- «

„ quam contra Earundem Jura atque Privilegia introductum & postea Regiâ Autoritate abrogatum sit, abrogationi huic firmiter insistere, Nobisque relatum sit, nonnullos inveniri, qui non attento eo, quòd Sacra Regia Majestas per Literas suas universales novæ accisæ Collectoribus seriò demandaverit, nec Accisa ista, Juribus & Privilegiis harum Terrarum contraria, à quoquam ulterius exigatur, à nonnullis nihilominus illam adhuc exigi accisam: Ideò consulendo indemnitati Jurium harum Terrarum, insistendoque Sacr. Reg. Majestatis Domini Nostri Clementissimi benignissimæ declarationi, consultum Nos duxisse constituere, prouti præsentis Laudi vigore constituimus, ut, si quispiam posthac præsumpserit talem introducere aut exigere accisam, omnes ex æquo obligatos futuros omni meliori & efficaciori modó conjunctim eidem resistere, Juraque harum Terrarum sarta ac tecta conservare, & si contigerit illum qui restiterit à quopiam ullâ sive juris sive facti viâ molestari, omnes eum evincere & indemnem reddere debere. In præmissorum fidem Sigillum harum Terrarum præsentibus est subappressum. Actum & datum Culmæ in Conventu Generali d. 17. Decembr. Anno 1660.

13. Laudum Præcustoditionis ne imposterum in Comitiis Regni aliquid laudetur.

„ Nos Status & Ordines Terrarum Prussiæ in præsenti Conventu Generali Mariæburgi congregati, notum testatumque facimus universis & singulis quorum interest. Postquam ea hactenus laudabilis ab immemoriali tempore observata fuit consvetudo ut Generosi Domini Nuncii harum Terrarum sub fide, honore, & conscientia obstringerentur ne in Comitiis Regni aliquas laudarent aut approbarent Contributiones, sed totum Contributionis negotium mediante iisdem in Conventu Ante-Comitiali datâ Instructione domum reciperent, & verò accidit, ut Respublica in proximè præteritis Regni Comitiis à Generosis Dominis Nunciis harum Terrarum summam centum & quinquaginta millium florenorum Polonicalium cum duabus agrariis laudandam expeteret;

Qui

Qui necessitate adacti, & quòd tam exactè scire non poterant, "
quot numerò agrariæ præfatæ summæ proportionaliter laudandæ "
forent, dictos 150000. floren. Polon. ab hisce Terris cum duabus "
agrariis laudandos acceptarint: Proindè inhærendo huic tam lon- "
gò tempore receptæ Consvetudini & præcavendo hóc in passu "
Jurium harum Terrarum omnimodæ indemnitati, neve id ipsum "
imposterum in nocivam trahatur sequelam, autoritate moderni "
Conventus ordinamus & constituimus, ut Domini Nuncii harum "
Terrarum in futuris Regni Cômitiis nullas imposterum laudent aut "
ineant Contributiones, multò minùs propriò motu ac sine scitu & "
consensu nostro certas ab hisce Terris exsolvendas accipiant pe- "
cuniarias summas & laudandas agrarias, quin imò totum hoc Con- "
tributionis negotium, & quicquid eò pertinuerit, more hactenus "
consvetò ad suos pro declaratione sumant & recipiant. In præ- "
missorum fidem Sigillum harum Terrarum subappressum. Actum "
& datum in Conventu Generali Mariæburgi die 1. Septembris; "
Anno 1661. "

14. Laudum Manifestationis contra præjudiciosas Constitutiones Comitiorum Regni Varsaviæ die 2. Maji Anno 1661. celebratorum sub Titulo: **Clo Generalne**, &c. &c.

NOs Status & Ordines Terrarum Prussiæ in moderno Conventu "
congregati notum testatumque facimus Universis & singulis "
quorum interest. Quòd cùm in proximè peteritis Regni Comi- "
tiis quædam Constitutiones Terris hisce & Earundem Civitatibus "
quàm maximè præjudiciosæ in volumen Legum publicarum præ- "
ter scitum & consensum Dominorum Nuntiorum harum Ter- "
rarum illatæ sunt, contra quas Constitutiones nonnulli ex Domi- "
nis Nuntiis coram diversis actis tàm Castrensibus quàm Civilibus "
protestati sunt: Ideò inhærendo hisce memoratorum Domino- "
rum Nuntiorum Manifestationibus contra omnes ac singulas ejus- "
modi præjudiciosas Constitutiones ac Clausulas Juribus, Privile- "
giis, ac immunitatibus harum Terrarum & Civitatum è diametro "
repu-

„ repugnantes præsentis Laudi vigore solennem interponere existi
„ mavimus Protestationem , quemadmodum præsentibus solennis-
„ simè protestamur, quòd istiusmodi Constitutiones Juribus harum
„ Terrarum & Civitatum nullatenus præjudicare possint ac debeant.
„ In præmissorum fidem Sigillum Terrarum Prussiæ præsentibus est
„ subappressum. Actum & datum in Conventu Generali Mariæ-
„ burg. d. 1. Septembr. Anno 1661.

Contra Easdem Constitutiones protestationes suó & Terrarum ac Civitatum Prussiæ nomine interposuerunt

Generosus DANIEL ERNESTUS CYRENBERBERK, Aulicus & Cubicularius Sacr. Reg. Majestatis ad memorata Comitia Regni Generalia Palatinatus Pomeraniæ ex Districtu Pucensi Nuntius *in Castro Gostinensi fer. 4. in Crastino F. Sanctæ Annæ Aviæ Domini Nostri JEsu Christi anno 1661.*

Generosus PAUL. BIALOBLOCKI de RYNKOWKA , Notarius Castrensis Palatinatus Pomeraniæ Terrarum Prussiæ ad dicta Comitia Varsaviæ Anno 1661. celebrata, & die Sabbathi post Festum S. Margar. Virginis & Martyris finita Nuntius *in Castro Valcensi fer. 4. in crastino Festi S. Annæ Matris B. M. V. Ao. 1661.*

Generosus JOANNES PETRUS TUCHOLKA, Notarius Terrestris Palatinatus Pomeraniæ ad eadem Comitia Regni ex Terris & Palatinat. Prussiæ Internuncius *in Castro Ravensi fer. 4. ante Fest. S. Mar. Magdalenæ proxima Anno 1661.*

Add. *Laudum Manifestationis contra præjudiciosas Constitutiones & ex iis resultantes Commissiones Comitiorum Varsaviæ d. 7. Martii Anno 1667. celebrator. in Conventu Generali Graudentinensi d. 21. Novembr. anno 1667. sancitum.*

Laudum Manifestationis contra præjudiciosa Terris Prussiæ & Civitatibus Ordinationi Comitiorum Electionis die 2. Maij anno 1669. Varsaviæ habitorum & Pactis Conventis inserta, in Conventu Generali Ante-Comitia Coronationis Mariaburgi celebrato die 30. Augusti anno 1669. factum.

Lau-

Laudum Protestationis contra præjudiciosas Constitutiones Comitiorum Varsaviæ die 2. Septembris Anno 1670. habitorum in Conventu Generali Graudentinensi die 26. Januarii Anno 1671. sancitum.

Conf. *Lauda in Conventu Generali Terrarum Prussiæ Mariab. d. 2. Maji Anno 1673. sancita* & supra *num. IV. artic. 4. & 6. adducta.*

Laudum Manifestationis contra præjudiciosas Constitutiones Comitiorum Coronationis Cracoviæ Anno 1676. celebratorum in Conventu Generali Graudenti die 14. Julij Anno 1676. peracto, factum.

15. Ex Responso Sacræ Regiæ Majestatis Nuntio Per-Illustri & Admodum Reverendo Domino Michaeli Radziejowki Præposito S. Michaelis ad Arcem Cracoviensem Gnesnens. Varmiens. Canonico Sacræ Regiæ Majestatis intimo Secretario à Statibus & Ordinibus Terrarum Prussiæ dato ex Conventu Generali Graudenti die 28. Junii Anno 1677. celebr.

STatus & Ordines debitâ cum veneratione in sinum Sacr. Reg. " Majestatis benignissimum reponunt, grave esse libertati, grave " Juribus, quod in Comitiis Regni ab Amplissimis Reipublicæ Ordi- " nibus Domini Nuncii harum Terrarum declarationibus ultra datas " Instructiones contra mores Majorum faciendis in negotio Contri- " butionum arctari, stringi, & propè non compelli soleant. Ac pro- " inde in excelso Sacr. Reg. Majestatis Judicio æquilibrium libertatis " & obsequiorum suorum ac non parcam in omnes Reipubl necessi- " tates facultatum suarum erogationem suspendunt, humillimeque " rogant, ut Gratiâ suâ Regali efficere clementissimè dignetur, quò " fides posthac Dominis Nuntiis harum Terrarum moribus antiquis " totam rationem sciscendarum & modeficandarum Contributionum " ad Conventus relaturis habeatur, ac benevolentiâ, non extorsioni- " bus, cum ipsis agatur. "

16. Laudum Manifestationis contra præjudiciosas Constitutiones Comitiorum Grodnæ d. 15. Decembr. Ao. 1678. celebratorum.

„ NOs Status & Ordines Terrarum Prussiæ in moderno Conventu „ Generali Mariæburgi congregati, universis & singulis quorum interest notum testatumque facimus. Quia Nos indemni„ tati jurium harum Terrarum æquè ac Civitatum nec non cujusvis „ privati prospectum esse volentes, animadvertendo quòd in volu„ men novellarum Legum in proximè præteritis Comitiis Grodnen„ sibus sancitarum Constitutiones quædam cum appendicibus in„ sertæ sint, quæ Juribus & Immunitatibus Terrarum harum, Civi„ tatum & privatorum sunt præjudiciosæ, & absque scitu & consensu „ Reipublicæ Universali intrârunt: Idcirco Autoritate præsentis „ Conventûs adversus ejusmodi Constitutiones protestando, præpri„ mis contra appendices, ac signanter contra appendicem, quæ sub „ Titulo: O Trybunale Koronnym per verba sequentia incipit: „ Y Sądy Duchowne w sprawy Inscriptionum, Donationum, Re„ formationum &c. tum & alteram sub Tit. Sprawa Gdanska, præ„ primis quatenus inhæreretur Constitutioni de Anno 1607. quò ipsò „ Gedanensis, adeoque omnes Civitates, contra Jura, Privilegia, & „ Immunitates à foro suo competenti ad forum incompetens, vide„ licet ad Tribunal Regni & alia præjudiciosa, pertraherentur, & „ tandem contra sinistram declarationis circa Contributionis scifcen„ dæ negotium à Magnificis & Generosis Dominis Nuntiis harum „ Terrarum ad Conventum hunc Post-Comitialem pro libertate „ sciscendarum & modificandarum contributionum sumptum, per „ Regnicolas quandocunque extendendæ interpretationem manife„ stamus, ac omnia in contrarium remedia Juris reservata volumus „ præsentis Laudi Nostri vigore. In præmissorum fidem Sigillum „ Terrarum Prussiæ hisce subappressum est. Actum Mariæburgi in „ Conventu Generali die 17. Julii Anno 1679.

17. Laudum Manifestationis contra Declarationem Palatinatuum Prussiæ Constitutioni Comitiorum Regni Varsaviæ die 27. Jan. Ao. 1683. celebrator. insertam.

„ NOs Status & Ordines Terrarum Prussiæ Mariæburgi in Con„ ventu Generali congregati Universis & singulis præsentium noti-

notitiam habituris notum testatumque facimus. Posteaquàm præsenti in Conventu Nobis ab Illustribus, Magnificis, & Generosis Dominis Nuntiis harum Terrarum, qui nuper in Comitiis Regni Varsaviensibus præsentes fuerunt, relatum est, quòd Declarationes Suæ ibidem nomine Palatinatuum Prussiæ factæ, non prout prolatæ & in scripto porrectæ fuerant, sed in præjudicium Jurium & consvetudinum hujus Provinciæ inter Declarationum Constitutiones relatæ sint, prout etiam in volumine Legum typis impresso reperiuntur: Proindè pro tuendis Juribus & Consvetudinibus hujus Provinciæ autoritate Conventus hujus contra easdem declarationes, quò minùs in præjudicium exemplumve futuris temporibus produci valeant, præsentem interponimus Manifestationem. In præmissorum fidem Sigillum harum Terrarum hisce subappressum est. Actum & datum Mariæburgi in Conventu Generali Terrarum Prussiæ die 16. Julii Anno 1683.

Conf. *Laudum Manifestationis contra præjudiciosas Constitutiones Comitiorum Regni Varsaviæ die 16. Februarij Anno 1655. peractorum, in specie contra Appendicem, quæ sub Titulo: Poglowne Zydowskie in grande præjudicium Jurium ac Immunitatum Civitatum intravit, in Conventu Generali Graudentinensi die 20. Augusti anno 1685. sancitum.*

Pertinent huc *Laudum Protestationis contra Decreta Judicij Commissorialis Tribunalis Radomiensis Leopoli Lublinum translati in Conv. Gener. Graudent. antè Electionali d. 4. April. 1674. sancitum in verbis:* Cum verò Terræ Prussiæ ab ipsa sui ad Regnum accessione hucusque semper in liberrimo sciscendarum & modificandarum Contributionum usu maneant, & quotiescunquè subveniendo necessitatibus Reipublicæ aliquas decrevissent, easdem non ex impositione sancitorum Reipublicæ, sed liberis ac spontaneis voluntatibus pro modulo facultatum in Conventibus suis ordinârint & contulerint, atque etiam de quantitate collectarum Illustrissimus Dominus Thesaurarius harum Terrarum rationes non Thesauro Regni, sed ipsis Statibus & Ordinibus, reddiderit & reddere teneatur, tùm verò negotium Contributionum in his Terris ad mate-

„ riam Status Reipublicæ, minimè verò ad processus judiciarios per-
„ tineat.——Ideo Nos de præfatorum Decretorum illegalitate & nul-
„ litate, tùm & de integritate Jurium Terrarum Prussiæ quàm solen-
„ nissimè Laudi præsentis vigore protestamur & expostulaturos nos
„ apud Rempublicam unanimiter pollicemur.

Item *Laudum Evictionis Illustrissimo Domino Palatino Pomeraniæ Terrarum Prussiæ Thesaurario atque Magnifico Joanni Elzanovvski contra Decreta præjudiciosa Tribunalis Radomiensis promissa in Conventu Generali Graudent. d. 30. Junii Ao. 1687. factum.*

Laudum Securitatis & Jurium tuitionis contra memorata Decreta; nec non *Laudum Rotalionis*, atque *Laudum Manifestationis contra omnia Decreta injuriosa Radomiæ lata dicto in Conventu Generali Graudenti die 30. Junii anno 1687. celebrato à Statibus & Ordinibus Terrarum Prussiæ sancita.*

IX.

Ad Tom. II. Epistol. 102. pag. 552. verb. Occurrit Magistratus ante portam, cumque in Oratione suâ Senatum Gedanensem nominasset Orator, statim correptus est à Magno Regni Cancellario his formalibus: Non dicite Senatus, sed Magistratus.

FEfellisse memoriam Celsissimum Principem & Autorem omnes & singuli testabuntur qui præsentes solenni illi humillimæ receptionis actui interfuerunt atque Allocutiones à Civitatis Syndico & Oratore tunc dictas attentis perceperunt auribus. Tantum enim abfuit, ut Magnus tunc temporis Regni Cancellarius Celsissimus Princeps Dominus Albrechtus Dönhoff Episcopus Przemisliensis vel unicò verbulò, nedum expressis in Epistola hac formalibus. Oratorem Civitatis propter vocem Senatus aliquoties, ut occasio ferebat, repetitam corriperet, ut potiùs hâc ipsâ Senatûs Populique Gedanensis denominatione, cùm *die 25. Martii* dicti *Ai. 1698.* Serenissimi Regis in Civitate tunc præsentis nomine Homagium ab Ordinibus & tota Communitate reciperet, non una vice uti haud quic-

quicquam dubitaret. Id quod pari in occasione ante illum post Coronationem Serenissimi olim Michaelis Regis Illustrissimum Excellentissimum Reverendissimum Dominum Andream Olszovski, Episcopum tunc Culmensem & Regni Poloniæ Procancellarium, fecisse, fidem faciunt diserta Sermonis ad Gedanenses *anno 1670. die 9. Julii* Homagium præstituros habiti & *Tomo 1. harum Epistolarum Part. 1. post Epist. 23. pag. 298. seq.* inserti verba: *Hoc agite Senatus Populusq; Gedanensis, ut devotos devinctosq; Regiæ Majestati animos &c.* Allocutiones verò à Syndico tunc Civitatis, Generoso Joanne Ernesto von der Linda, ad Serenissimum habitæ sequentibus conceptæ & recitatæ fuerunt verbis:

Allocutio ad Serenissimum Regem cùm Civitatis portam ingrederetur die 18. Martii Anno 1698.

Serenissime & Potentissime REX ac Domine, Domine Clementissime.

Ingreditur Sacra Regia Majestas Vestra Gedanum Suum, & ita, prout fidelissimi Cives & omnes boni precabantur, ingreditur REX Salvus atque Augustus. Erat scilicet hactenus in votis, ut quem cæli hominumq; consensus ad Regium viduatæ Poloniæ Thronum evexerat, Ejus exoptato conspectu Civitas hæc coram perfrueretur. Quàm fæcunda igitur ex felicissimo hoc Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ adventu in cordibus optimorum & paratissimorum subditorum exorta sit lætandi materies si inter publica gaudia gratulantiumq; cœtus tumida fæcundiæ ostentator verbis exprimere gestiret, vanitatem haud dubiè suam pleriq; optimô jure irriderent. Adest autem omnium, quotquot gremio suo complectitur Civitas hæc, nomine Civitatis Senatus, communis gaudii testis & interpres eò certior, quò magis cognitos civium & incolarum suorum habet animos, neminemq; in tanta hominum multitudine reperiri optimè novit, qui Augustissimis Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ Auspiciis optatissimoq; ingressui huic faustis acclamationibus non daret applausus. Atque sicuti idem Senatus suis cæterorumq; Ordinum ac Universæ Communitatis votis Sacræ Regiæ Majestati Vestræ post solennem statim Inaugurationem Regales trabeas pro

debito subjectionis suæ cultu gratulatus est. Seq; & totam hanc Civitatem cum fortunis omnibus vitaq; ipsa Sacra Regia Majestati Vestræ humillimè devovit : ita inpræsentiarum ad demonstrandam porrò & comprobandam devotissima fidei suæ sinceritatem, portarum Civitatis claves, tesseram subjectionis, inter Regias manus consignat, spe certâ & indubitabili fretus, Sacram Regiam Majestatem Vestram, susceptis in se Regni Poloniæ fascibus & fatis, tot Provinciarum, tot Urbium nunc curam gerentem, atque pro universorum pro singulorum salute excubantem, non minorem Salutis securitatisq; fidelissima hujus Civitatis habituram rationem, quàm ipsa illa Serenissimis Poloniæ Regibus à primis, quibus leberrimis votis salvisq; Juribus suis & immunitatibus ad liberum Poloniæ Regnum accessit, temporibus inconcussam intemerata fidei constantiam testata est. De cætero quemadmodum Magistratus cum tota Communitate in Sacra Regia Majestate Vestra Piasti beneficentiam pietatemque; Vladislai excelsum animum & fortunam; Casimiri Magni felitatem; Jagellonis mitissimum ingenium pietatemque; Sigismundi I. admirabilem corporis furtitudinem, temperantiam & diuturnitatem; Augisti I. intuenda Majestate splendorem; Stephani Gloriam & justitiæ servandæ studium; Sigismundi III sanctitatem; Vladislai IV. victorias & triumfos; Joannis Casimiri munificentiam, liberalitatem & lenitatem; Michaelis æquanimitatem; Joannis III. in rebus Sagô & Togâ gloriosissimè peragendis expeditam promptitudinem *veneratur, ita Supremum Numen precibus invocat devotissimis, ut Sacram Regiam Majestatem Vestram, Principem omnes Divorum Antecessorum virtutes feliciter exæquantem, post sedatos turbatæ & afflictæ intestinarum dissensionum procellis Reipublicæ motus, redditamq; servatis non intermoriturâ seculis ineffabilis clementia gloriâ Civibus pacem & tranquillitatem publicam, inter auspicatos Regiorum consiliorum duraturæq; felicitatis successus, ætatem omnium vivere, victricesq; laurus post debellatam barbariem christiani nominis hostium indies efflorescere magis sangvine, reliqua tandem, quæ Vicaria DEI in terris Potestatis esse possunt, vota perpetuis beare implementis clementissimè dignetur. De Sacra Regiâ Majestate Vestrâ idem hic præsens Senatus totaq; Universitas certissimæ spei indubitatam concipiunt fiduciam, Sacram Regiam Majesta-*

jesta-

jestatem Vestram exigua illa, quæ tenuitas ipsorum rerumque ac temporum status permisêre, publica Venerationis signa clementissimè suscepturam, magisq; subjectissimam comperta integritatis & fidei promptitudinem & alacritatem, quàm ullum externa pompa splendorem ac sumptus, æquissimô judicio æstimaturam; spes, quod superest, hasce suas Divinâ, quia DEO proximâ, Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ clementia submississimè obsignantes.

Allocutio ad Serenissimum Regem habita in ædibus Braunianis, cùm in easdem Serenissimus REX deductus fuisset die 18. Martii Anno 1698.

Serenissime & Potentissime REX ac Domine, Domine Clementissime.

Cùm Octavio Augusto Cæsari ex Scto cognomentum Patris Patriæ deferendum esset, dixisse Valerius Messala fertur: Quod felix faustumque sit Tibi, Domuique Tuæ Cæsar Auguste, Senatus Te consentiens cum Populo Romano consalutat Patriæ Patrem. *Vovebat scilicet Augusto hac oblatione Senatus, ut omnia quæ faceret quæq; imposterum esset facturus, prosperè cederent Augusto, sibi, Reipublicæ, vel, quod brevius est, uni Augusto, quia in illo Reipublicæ salus & Senatus felicitas versabantur. Dum in præsentiarum Senatus populusque Gedanensis Sacram Regiam Majestatem Vestram Dominum Suum Clementissimum intrà complexum mœnium Civitatis hujus feliciter præsentem submissô poplite salutat, cum nomine Gratioso & fortunato nil nisi Augustum & Secundum, cum Rege Optimo Maximo Patriæ Patrem munificentissimum in Civitatem hanc receptum quàm maximè gaudet. Neque etiam votis parcet, quorum hæc summa est, ut qui coronatum Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ verticem suprà hostes, suprà invidiam, suprà fortunam, suprà Fatum evexit cœli Favor, idem quodcunq; Orbi Christiano desiderabile, Regno Poloniæ incorporatisq; Provinciis proficuum, Civitati huic immensô solatio est, in perpetua Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ felicitate Orbi, Regno, Provinciis*

vinciis & fidelisſimæ Civitati benignisſimè largiatur. Hoc Regi à Deo dato, hoc Principi Glorioſisſimo, hoc factis & nomine Auguſto dum Senatus & Univerſus populus optat & precatur, non voces ſolùm aut vota, nec ſtudia tantùm & amores, nec affectus ſolos aut vitam obligat, ſed omnia, ſe ipſum denique & quicquid attritis rebus ſuis adhuc ſupereſt Sacræ Regiæ Majeſtati Veſtræ devovet, cum gratioſisſimo victricis dextræ Oſculo, ad quod ſe admitti humillimè petit, exuberantisſimæ Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ Clementiæ & Auguſtæ Protectioni ſe ac Civitatem hanc univerſam devotisſimè commendans.

CEterùm illud equidem negari nequit, appellationem hanc Anno 1661. circa felicem Sereniſſimi Regis Joannis Caſimiri in Urbem Gedanenſem ingreſſum ab illuſtrisſimo tunc Regni Supremo Cancellario vocatam fuiſſe in dubium. Aſt quæ idem Senatus Gedanenſis pro amolienda quavis invidia & defenſione tituli ſibi à tot retrò temporibus nunquam denegati remonſtrari fecerat tanti fuerunt momenti, ut omnis ulterior ceſſaret contradictio, nec ſubſecutis temporibus deſuper controverſia moveretur.

1. Contenta eorum, quæ cum Illuſtriſſimo Domino Supremo Regni Cancellario nomine Senatus Gedanenſis ratione hujus vocis Anno 1661. menſe Novembr. acta ſunt.

„ PRæmisſis Curialibus dictum, cùm circa felicem ingreſſum „ Sacræ Regiæ Majeſtatis Domini Noſtri Clementisſimi in hanc „ Urbem Civitatis Senatus debitam humillimamque venerationem „ Principi Suo Salutatione ſubmiſſa eſſet conteſtatus, Nomine deindè „ Regio Sua Illuſtritas benignè reſpondiſſet, non ſine luculenta „ & honorifica commemoratione meritorum Civitatis, præter „ omnem ſpem & exſpectationem evenit, quòd Sua Illuſtritas in fine „ ſubjunxerit, Nos impoſterum titulo aut nomine Gedanenſis Ma„ giſtratus, non verò Senatus Gedanenſis, uti debere. Quæ pu„ blica admonitio ſeu reprehenſio viſa fuit ejus eſſe momenti, ut „ neceſſariò deſuper cum Sua Illuſtritate Civitatis iſtius Senatus cen„ ſuerit candidè & perobſervanter eſſe conferendum. Et initiò quidem

quidem arbitramur omnes, nullam apparere idoneam rationem, "
cur illud Collegium, quod post Serenissimum Regem Nostrum "
Autoritate primariâ in rem hujus Civitatis consulit eamque gu- "
bernat, Senatus appellari non debeat, cùm Senatus nihil aliud "
sit, quàm congregatio Seniorum vel Prudentiorum in aliqua Re- "
publica vel Civitate ad publicum regimen legitimè electorum & "
cooptatorum. Quòd verò illi Proceres, qui cum Serenissimo Re- "
ge in Polonia res Reipublicæ præcipuas curant, Senatus vocan- "
tur, id omninò non impedit, quò minus & Gedanum suum ha- "
beat Senatum, qui non Regni, sed istius Civitatis, Senatus sit. "
Novit Sua Illustritas à Romanis id nomen suam habere originem, "
& fuerunt illi sanè Dignitatis Suæ tenacissimi, & tales omninò, "
quorum Senatum præ se Senatus Polonicus haud dubiè non con- "
temnet. Attamen in scriptis præcipuorum in illa Orbis Terrarum "
Imperatrice Republica Virorum frequens mentio invenitur Sena- "
tus & Senatorum Siracusanæ, Agrigentinæ, Alexandrinæ, Hale- "
sinæ & aliarum hujusmodi Civitatum, quarum aliquæ si opulen- "
tiores fortasse fuerunt quàm ista est Civitas, tamen vix est ut cum "
ea quoad decus libertatis honestè partæ, aliaque quæ comme- "
morare necesse non est, conferri possit. Novit præterea Sua Illu- "
stritas Imperium hodiernum Germanicum suum habere Senatum, "
singulæ tamen urbes in Germania, immò Oppida, à Senatoribus "
reguntur, & quoties ad Urbium Magistratus ab Imperatore, Prin- "
cipibus, aliisque Imperii Statibus latinæ scribuntur literæ, inscri- "
ptio ad Consules & Senatores in illis conspicitur, imprimis quan- "
dò ad Hanseaticarum Civitatum Magistratus literæ diriguntur, in- "
ter quas hæc Civitas etiam ante incorporationem cum Inclyto Po- "
loniæ Regno, & quidem inter quatuor metropoles una, fuit & "
adhuc est. Neque verò post incorporationem ita de Regibus Suis "
& Republica est merita, ut debuerit ex illo tempore vilescere, "
& Dignitatis titulo velut capite minui. Atque inde est, quòd Se- "
natus nomen à Serenissimis Poloniæ Regibus, imprimis Sigismun- "
do Augusto & Stephano sæpissimè fuit tributum, quod variis Re- "
scriptis, Decretis, aliisque Diplomatibus Regiis demonstrari potest. "

K Hisce

„ Hisce Illustritas Sua addere dignabitur, hanc Civitatem inter
„ Consiliarios Terrarum Prussiæ locum suum obtinere, qui Consi-
„ liarii quin Prussiæ Senatus sint negari non potest, ut omittamus
„ aliquandò istius Civitatis ad Comitia Poloniæ ablegatos in Senatu
„ Regni sessionem & votum habuisse, & hunc honorem nobis po-
„ tuisse continuari, nisi Majores nostri certis justisque rationibus
„ ducti sua sponte & ultrò abstinuissent illa usurpare. Neque un-
„ quam de appellatione Senatus controversia aliqua mota fuit. Pri-
„ vatim quidem & ex transverso ab annis circiter viginti, imprimis
„ circa Cancellariatum Illustrissimi Ossolinii, aliquid fuit injectum,
„ quod tamen non impedivit, quò minus â parte nostra uterc-
„ mur vocabulo recepto. Quod ad Magistratus nomen attinet, co-
„ gitet sua Illustritas, an non illud grandius sit & honorificentius
„ ipsô nomine Senatus. Apud Romanos ex Senatoribus illi tan-
„ tùm Magistratus vocabantur, qui Consules, Prætores, Quæstores,
„ Ædiles erant, reliquâ turbâ sub nomine Senatorum relictâ. Ipse
„ Serenissimus Rex noster Regni Senator non est, sed supremus in
„ Regno Magistratus; Et quis affirmet hujus Civitatis Senatum Re-
„ gios honores affectare, si malit Magistratus appellari quàm Sena-
„ tus? adeò ut agnoscere ex eo possit Illustritas sua, ex ambitione
„ non fieri, quod nomen Senatus retinetur. Neque enim inania
„ captare consvevimus, neque ista tàm latè fuissent deducta, nisi
„ res in controversiam & contradictionem venisset; nam alioquin
„ perindè fuisse Senatum vel Magistratum vocari. Maximè autem
„ Civitatis illius Senatum perturbavit, quòd Illustritas Sua coram
„ Sacra Regia Majestate in conspectu tot millium, in ipso limine
„ Urbis, in solennis festivitatis publico actu voluerit perstringere
„ Magistratum Ordinarium nihil tale exspectantem aut promeritum,
„ & ita illam luculentam & facundissimam suam deprædicationem
„ fidei & fortitudinis Gedanensium unâ velut literâ inducere; certè
„ in animis Senatus & plurium aliorum, qui verba illa notarunt,
„ non levis commotio & solennis gaudii diminutio inde orta est.
„ Habet enim omnis reprehensio virorum bonorum & in aliqua
„ Dignitate constitutorum, imprimis si propalam fiat & publicè,

plu-

plurimum acerbitatis & aliquid fortaſſis injuriæ. Quæ quod non "
diſſimulata, ſed ad animum revocata eſt, id pro ſua æquanimi "
tate Illuſtritas Sua ægrè non feret, nec ſuperbiam aut animi im- "
potentiam eſſe arbitrabitur, ſed juſtum dolorem, quem, ut "
quantò quisque eſt melior, tantò magis ingenuè & liberè decla- "
rat. Nulla autem memoria hujusmodi rei apud Nos extat; Id "
ſaltem plures recordantur, priores Illuſtriſſimos Cancellarios ne "
quidem ergà Secretarios Civitatis in Aula degentes ita ſe geſſiſſe, "
ſed ſiquid in ipſorum loquendi modis diſpliceret privatim monu- "
iſſe. Præcipuè autem Nos angit, quòd haud dubiè res illa di- "
vulgabitur & emanabit ad plures, atque ita habituri ſunt amici "
quod mirentur, hoſtes quod jactent, & quæ nomini Polonico "
inſultent. Inter cæteras technas & artificia, quibus animos No "
ſtrorum Civium clanculum labefactare Sveci hactenus tentârunt, "
id quoque fuit, quod perſvadere conati ſint, Dominos Polonos "
in fine laborum nullæ virtutis ac fidei Gedanenſium habitâ ratio "
ne, viliter ipſos ac contemptim inſtar Kmethonum habituros, ean- "
demque futuram noſtram conditionem, qualis eſt illorum oppido- "
rum, qui ſunt ſub Capitaneis, quorum Magiſtratibus & incolis "
pro lubitu & ſuperbè inſultetur. Cordatiores equidem non mo- "
vent talia, & ſuper alia baſi fundata eſt conſtantia hujus Urbis, "
quàm ut tàm facilè posſit convelli. Sed tamen optat Senatus "
hujus Civitatis, & perobſervanter rogat, ut benigna ac ſollicita "
habeatur ratio imbecilliorum, & ne ſerendis rumuſculis præbea- "
tur materia. Nos verò de æquanimitate & Benevolentia Illu- "
ſtritatis ſuæ nobis pollicemur, non ſuccenſere Illam neque Civi- "
tatis Senatui, qui Nos ingenuâ libertate in ſinum Illuſtritatis Ve- "
ſtræ dolorem ſuum effundere juſſit, neque Nobis, qui diſerto "
mandato fideliter debuimus defungi; Quin potiùs ſperamus, il- "
lam ingenuitatem probis hominibus propriam Illuſtritati Veſtræ "
Nos magis devincturam, & Ejus gratioſisſimam propenſionem "
Nobis conciliaturam. Neque enim adſpernari poterit liberam vo- "
cem illorum, quorum fortiter & fideliter facta tantoperè depræ- "
dicat, neque candorem non amare, qui apud ipſam potiùs, "

„ quàm apud alios conqueri voluerunt. De reliquo certa esse potest
„ Illustritas Vestra de Senatûs tot usque istius Civitatis perpetua ob-
„ servantia & ad omnia studia & officia pronis atque paratissimis
„ animis.

2. Memoriale.

DE VOCE SENATUS.

„ POstquam Illustrissimus Supremus Regni Poloniæ Cancellarius
„ modernus iteratis vicibus Collegium Præ-Consulum & Con-
„ sulum Civitatis Gedanensis non Senatum, sed Magistratum appel-
„ lari debere, Seque constanter appellationi Senatus contradicturum
„ ostendit, iisdem Præ-Consulibus & Consulibus quædam imposita
„ fuit necessitas, nomen Senatus legitimè sibi competens ex rationi-
„ bus juris & facti tuendi

„ Et principiò quidem nulla videtur apparere idonea ratio, cur
„ illi Viri, qui post Serenissimum Regem Nostrum Authoritate pri-
„ maria in rem Civitatis istius consulunt, eamque gubernant, Sena-
„ tus appellari non debeant, cùm nihil aliud sit Senatus, quàm con-
„ sessus eorum, qui vel ætate vel prudentiâ Seniores in aliqua Re-
„ publica aut Civitate ad Regimen publicum legitimè fuerunt electi
„ & cooptati.

„ Et quamvis Illustrissimi Proceres, qui cum Sacra Regia Ma-
„ jestate in Polonia præcipua Reipublicæ negotia curant, Senatus
„ vocentur, (præsupponitur enim ab Illustrissimo Cancellario dece-
„ dere aliquid Senatui Regni, si nomen Senatus Gedanensis ex-
„ audiatur) id non impedit, quò minus Gedanum quoque suum
„ Senatum habeat, qui non Regni sed istius Civitatis Senatus sit.
„ Nemo ignorat, à Romanis vocem Senatus ortam esse, & fuerunt
„ profectò illi Dignitatis suæ tenacissimi, & omninò tales, ut Ro-
„ manum Senatum Senatus Polonicus præ se haud dubiè non sit
„ contempturus. At legimus in scriptis eorum, qui in illa Orbis
„ Terrarum Imperatrice Republica præcipuas Dignitates gesserunt,

præ-

præter Romanum Senatum aliarum quoque, quibus absoluto jure " Romani imperabant, Civitatum Gubernatores Senatum dici. "

Sic apud Ciceronem *in Verrina secunda* frequentissima fit " mentio Senatus Syracusani, Agrigentini, Halesini, aliarumque " Urbium in Sicilia, uti & Senatorum Syracusanorum, &c. Sic *in* " *Theodosiano Codice* Senotus Alexandriæ Civitatis appellatio appa- " ret. Quarum utut aliquæ opulentiores fortasse fuerint, quàm " ista est Civitas, tamen vix est, ut cum ea, quoad decus libertatis ho- " nestè partæ, aliaque, quæ commemorare necesse non est, con- " ferri possit. "

Imperium hodiernum Germanicum suum habet Senatum, sin- " gulæ tamen Urbes, imò oppida in Germania à Senatoribus reguntur, " neque dedignatur ipse Imperator Principesque & Status in Diplo- " matibus & Literis quæ latinè expediuntur, Regentibus Civitatum " attribuere appellationem Consulum & Senatorum; Imprimis quan- " do cum Maritimis seu Hanseaticis Civitatibus agitur, ex quibus ista " Civitas etiam ante Incorporationem cum Regno Poloniæ, & qui- " dem inter quatuor Metropoles una fuit & adhuc est. Nec potest " videri post incorporationem de Regibus suis & Republica adeò " malè merita, ut debuerit ex illo tempore vilescere, & Dignitatis " tituló, tanquàm Capite, minui. "

Neque nova res est, quia quamplurimis Documentis demon- " strari potest, & ipsos Serenissimos Poloniæ Reges & Illustrissimos " Regni Cancellarios voce Senatus, cùm de Gedanensibus loqueren- " tur, fuisse usos. In Privilegio Divi Sigismundi Augusti Civitati " *Anno 1558.* concesso expresè continetur: Moratorias literas nullius " momenti esse debere, nisi is qui eas obtinuerit antè *Senatui Civi-* " *tati Gedanensis* comprobarit, se nullâ culpâ suâ ad eam necessitatem " venisse. "

In alio Rescripto Ejusdem Regis *de Anno 1557. Senatus po-* " *puliq; Gedanensis* aliquoties repetita fit mentio. Uti quoque in " alio de *Anno 1561. Senatus & Communitatis Civitatis Gedanensis.* "

„ Divus Stephanus, acer alioquin adsertor Regiæ Dignitatis, in Pa-
„ ctis Portorii expressè nominavit istius Civitatis Senatum. Et recen-
„ sentur, uti notum est, Pacta illa inter præcipua & fundamentalia
„ istius Civitatis Jura & Privilegia, fueruntque in ipsis Regni Comitiis
„ *Anno 1585.* in pleno Regni Senatu per manus Illustris & Magnifici
„ Joannis de Zamoiscio Regni Supremi Cancellarii &c. solenniter
„ extradita, Sigilló insuper Majestaticó appensó, & nominibus
„ omnium & singulorum Regni Senatorum in iisdem Comitiis Regi
„ adsidentium longâ serie adscriptis. Prolixum nimis foret alia al-
„ legare Documenta, quæ affatim suppetunt.

„ Ad recentiora ut veniatur, sufficit demonstrasse, quòd Illustris-
„ simus Jacobus Zadzik, qui tanta cum laude per tot annos Supremi
„ Cancellariatus munere in Regno perfunctus est, cùm *Anno 1634.*
„ Thorunii Homagium nomine Regis reciperet, & quodammodò in
„ Actu Regiam personam repræsentaret, in ipsa solenni & homa-
„ giali propositione inter cætera ita Thorunenses fuerit allocutus:
„ REX meus mihi dedit in commissis, ut *vobis Spectabili Senatui, Ma-*
„ *gistratui, cæterisq; hujus Civitatis Ordinibus* &c.

„ Cùm in fine anni ejusdem 1634. Divus Vladislaus hanc Cita-
„ tem feliciter ingrederetur, idem Cancellarius circa publicam saluta-
„ tionem ad portam Urbis non tantùm non oblocutus est Syndico
„ Civitatis eá voce utenti, sed ipse quoque in Responso eandem re-
„ petiit, mentione *Spectabilis Senatus* ter repetitis vicibus disertè fa-
„ ctâ, uti constat ex iis quæ per typum circà præfatum tempus di-
„ vulgata, & non ita pridem moderno Illustrissimo Domino Can-
„ cellario demonstrata fuerunt.

„ Quod ad Magistratus nomen attinet, videndum est, an non
„ inferat grandius aliquid & munificentius quàm vocabulum Sena-
„ tus? Romæ, undè utriusque vocis origo est, Magistratus voca-
„ bantur, qui fungebantur præcipuis Dignitatibus, ut Dictatores,
„ Consules, Censores, Prætores, Quæstores, Ædiles, reliquâ turbâ
„ sub Senatorum nomine comprehensâ.

Ipse

Ipse Serenissimus REX Noster Regni Senator non est, sed Su- "
premus in Regno Magistratus, & quis credat Regiæ Dignitati ali- "
quid decedere, si Præ-Consules & Consules Gedanenses Magistra- "
tus vocentur potiùs quàm Senatus? Ut saltem inde manifestum "
esse possit ex ambitione non fieri, quod nomen Senatus retinetur "
tot modis legitimè competens. Quorsum enim pertineret captare "
inania? Neque de eo Præ-Consules & Consules hujus Civitatis "
magnoperè laborarent, & omninò perindè habuisset Senatum vel "
Magistratum appellari, nisi intervenisset contradictio in publico "
& postea repetita præter omnem spem atque exspectationem & pla- "
nissimè præter meritum, &c. "

X.

Ad ea quæ Epistolæ CXXVI. pag. 749. seqq. De asserta in Confœderatione post mortem Divi Sigismundi Augusti Anno 1573. & subsequentium temporum Confœderationibus inter Dissidentes de Religione Pace & Tranquillitate annectuntur.

Qualiter Pax Religiosa inter Dissidentes in Religione Christiana in Regno Poloniæ annexisque Provinciis coaluerit, quibusque nitatur juribus, deductum fusiùs in Scripto Berolini Ao. 1708. in Typographia Regia impresso, cui Titulus: *Jura & Libertates Dissidentium in Religione Christiana in Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithuaniæ ex Legibus Regni & aliis monumentis Authenticis excerpta.* Eadem in compendium redacta, & quæ huc prætereà pertinent, exhibet Auctor Dissertationis manuscriptæ: *De Juribus Protestantium in Polonia & incorporatis Provinciis*, sequentem in modum:

Quæ in Regno Poloniæ incorporatisque eidem Provinciis inter Dissidentes de Religione Christiana asserta Pax, eadem in *Imperio Romano-Germanico* inter eosdem Dissidentes per *Transactionem Passaviensem Anno 1552. die 2. Augusti* initam & *Pacem Religiosam Augustæ Vindelicorum die 25. Septembris Anno 1555.* factam stabilita, & per *Pacem Osnabrugo-Monasteriensem Anno 1648. Artic. 5.* confirmata fuit.

fuit. Veniunt autem Dissidentium in Religione Christiana nomine Romano-Catholici ab una, & Protestantes, sive hi quorum professio fidei christianæ ab illorum placitis in aliquibus differt, ab altera parte, utpote inter quos motus orti fuerant, adeoque necesse erat inter eosdem pacem conciliari, quò publica tranquillitas restitueretur & sarta tecta conservaretur, & omnis discordiæ ac diffidentiæ radix ex animis in Religione discordibus penitus evelleretur. Atque sicuti in Imperio Romano-Germanico contra hanc Pacem Religionis vel ipsorum Summorum Pontificum eorumque nomine illatæ contradictiones aut Protestationes notorietate publicâ testante nihil quicquam profecerunt, sed eadem Pax in hanc usque diem immota stetit & stat: ita quoque in Regno Poloniæ tantum abest ut propter interpositas aliquandò ab hoc aut illo objectiones & protestationes factam inter Dissidentes pacem invalidam redditam esse dici queat, ut potiùs eandem non interruptâ temporum serie tot repetitis Confœderationibus, Pactis conventis, atque Juramentis Regiis stabilitam & confirmatam ipsa comprobet experientia Unde facilè concidunt illorum asserta, qui vel Evangelicos sive Protestantes Hæreticorum appellatione gravant, vel pacem Religionis cum ipsis initam ideò irritam esse contendunt, quòd Regibus & Statibus Pontificiæ Religioni addictis per vim quasi sit extorta, siquidem illos dicere Hæreticos, qui articulos fidei quam profitentur in Scriptura Sacra juxta sensum & mentem Spiritus Sancti fundatos & in Oecumenicis Conciliis & Symbolis professos agnoscunt & probant, id quod Augustanam Confessionem sequentes faciunt, perinde absurdum est, quàm pacem tot vicibus tantaque publicorum Pactorum & Juramentorum religione decretam obtentu coactionis infringere.

Post obitum siquidem Regis Sigismundi Augusti facta est Confœderatio omnium Ordinum Regni *in Convocatione Generali Varsavia die 28. Januarii Anno 1573.* In hac quàm solicitè cautum sit Libertatibus non in civilibus tantùm sed & in spiritualibus, ostendunt verba *in Volumine Constitutionum Regni pag. 208. 209.* expressa: *Ina ezey na zadnego Pana nie pozwalac.* &c. *In Regem aliter non consenti-*

ſentiendum, niſi ſub hac certa & expreſſa conditione & præcuſtoditione quòd Jura Noſtra omnia, Privilegia, & Libertates noſtras quæ ſunt, & quæ poſt Electionem illi offeremus, jurejurando priùs confirmabit. A mianowicie to poprzyſiadz &c. hoc eſt: *Imprimis verò jurejurando recipiat, Pacem univerſalem inter Diſſidentes in Religione conſervare & tueri—— A iz w Rzeczypoſpolitey Naſzey nie małe ieſt diſſidium* &c. h. e. *Quandoquidem autem in Republica Noſtra non parvum reperitur in cauſa Religionis Chriſtianæ diſſidium, occurrendo, ne ea de cauſa inter Incolas perniciosa aliqua ſeditio oriatur, cujus exempla in aliis Regnis luculenter videmus, mutuò promittimus pro Nobis & Succeſſoribus Noſtris in perpetuum, ſub vinculo juramenti, ſub fide, bonore & conſcientiis noſtris, quòd Nos, qui Diſſidentes in Religione ſumus, mutuam invicem pacem conſervare, neq; ob aliquam diverſitatem in ſacris ſangvinem effundere, neq; pœnis confiſcationis bonorum, infamia, carceris & exilii invicem animadvertere, neque alicui Magiſtratui ſive Officio ad ejusmodi factum ullâ ratione auxilium ferre velimus. Imò quodſi quis tale quid patrare præſumat, hac ſola de cauſa omnes huic auſui ſeſe opponere tenebimur, etiamſi ſub prætextu Decreti aut Proceſſus alicujus judiciarii id obtinere conatus fuerit.* Hæc Confœderatio confirmata fuit in *Articulis Pactorum Conventorum inter Ordines Regni & Legatos ac Oratores Henrici Regis die 16. Maji Anni 1573.* ubi dicti Oratores recipiunt & ſpondent nomine Sereniſſimi Electi: *Omnia jura* &c. *circa Electionem Regis ſancita integrè & inviolabiter Eum ſervaturum, atq; etiam juramento corporali confirmaturum* &c. &c. Inter hæc verò Jura vel inprimis Confœderatio Generalis locum ſibi vindicat. In juramento verò à Rege tunc ſolenniter præſtito his verbis cavetur Libertati Religionis: *Pacemq; & tranquillitatem inter Diſſidentes de Religione tuebor, manutenebo, nec ullô modô vel Juriſdictione Noſtra, vel Officiorum Noſtrorum & Statuum quorumvis autoritate quenquam affici opprimiq; causâ Religionis permittam, nec ipſe afficiam, nec opprimam. Sic me DEUS adjuvet.* Vid. Volum. Conſtitut. pag. 226. 227. Quæ juramento comprehenſa Rex Henricus deinde poſt Coronationem *ex ſuperabundanti*, ut ipſe loquitur, ſolennibus Literis confirmavit *die 22. Aprilis anno 1574. d. Vol. Conſtit. pag. 229.* Nec eſt quod

L moveri

moveri super hac re dubium aliquod posset, cùm (præter ea, quæ Stephanus Junius Brutus, sive, qui sub hoc nomine latere voluit, Hubertus Langvetus in vindiciis contra Tyrannos *Quæst.3. pag. 255.* notavit, conditionem nimirum de Pace inter Dissidentes servanda Henricum conceptis verbis, ter stipulantibus Proceribus, ter spospondisse) quòd Henricus re verâ ita juraverit præmemorata formula juramenti sufficienter testetur, quæ non modò à Rege Stephano repetita, *vid. Volum. Constitut. pag.250.* sed & *in Constitutione Comitiorum Coronationis Regis Stephani Anno 1576.* expresse ordinum, *Quòd perpetuis temporibus Reges eâ formulâ, quâ Henricus & Stephanus jurârunt, jurare debeant* d. Constit. pag.278. Prætereà *in Confœderatione post mortem Regis Stephani inter Senatores & Nobilitatem Palatinatuum Cracoviensis, Sendomiriensis, & Lublinensis Cracoviæ Anno 1586. inita*, disertis affirmetur verbis: *Confœderationem inter Dissidentes de Religione per Reges Henricum & Stephanum juramento comprobatam esse.* in Vol. Constit. pag. 399. sq. Id quod subsecutis etiam temporibus celebrati Confœderationum, Electionum, & Juramentorum Regiorum Actus evidentissimè testantur. Eadem Confœderatio luculentius adhuc est confirmata *in Literis Confirmationis articulorum Henrico Regi anteà oblatorum* in Vol. Constit. pag. 253. artic. 2. *A iz w tey zacney Koronie Narodu Polskiego &c.* hoc est: *Quandoquidem in hoc Illustri Regno Nationis Polonicæ & Lithuanicæ, Russicæ, Livonicæ &c. non pauci reperiantur Dissidentes in Religione, occurrendo quibuscunq; imposterum seditionibus & tumultibus, & inde litibus aut certaminibus Religionis causâ oriundis, caverunt sibi invicem quidam cives Regni hujus peculiari Confœderatione, se in causis Religionem concernentibus omninò in pace conservari debere, quam quidem nos illis integrè & in perpetuum conservare promittimus.* Similiter *in Literis pactorum conventorum Legatis Regis Stephani propositorum & ab iis susceptorum Varsaviæ die 14. Decembr. Anno 1575.* cautum fuit: *Omnia Jura &c. Nec non Articulos in Electione Henrici Regis conscriptos & ab Ordinibus oblatos primùm hic Varsaviæ ac ipsis Legatis, deinde Parisiis ab utroq; Rege, publicô juramentô approbatos confirmabit.* vid. Volum. Constit. pag. 252. Id quod etiam præstitisse Regem Stephanum, patet

patet ex *Literis Confirmationis illorum articulorum* datis *in Transylvania in Oppido Meggies 8. Febr. 1576.* his verbis: *Quos quidem articulos seu Leges in omnibus earum punctis & conditionibus—— sine ulla excusatione & exceptione firmiter, inconcussè, & inviolabiliter tenere, observare, adimplere, & exequi, & teneri, observari, adimpleri, & exequi facere promittimus.* Constit. Regni pag. 257. Porrò in *Literis Confirmationis Generalis Jurium ante Coronationem 8. Febr. Anno 1576. facta* in hunc etiam articulum de Dissidentibus omnes & singuli Ordines Regni, nemine contradicente, consenserunt, dum *Declarationem Regiam*, quòd Generalis illa Confirmatio Juri Dissidentium derogare non debeat, approbarunt & typis exscribi mandarunt his verbis: *Quod verò suprà hisce Literis Privilegia, Libertates Ecclesiasticas, cum cæteris confirmavimus, id nihil articulo juramenti derogare volumus, videlicet pacem & tranquillitatem inter Dissidentes de Religione tuebimur & manutenebimus &c. Quem inconcussè, firmiter & inviolabiliter ac cum effectu Nos observaturos promittimus ac spondemus.—— A tak My vvyzey pomienione Rady &c. Et ita Nos supra nominati Consiliarii Regni &c.* In subsecuta deindè *Confirmatione Generali omnium Jurium sub tempus Comitiorum Coronationis die 4. Maji Anno 1576.* expedita in eundem articulum de Dissidentium libertate iisdem, ut suprà, verbis conceptum cum Rege consenserunt eique subscripserunt primaria nomina ex Clero Romano atque Ordine Senatorio & Equestri, quæ exhibet *Volumen Constitut. pag. 271. 272.* Quò autem integritati articuli hujus nihil omninò deesset, in hisce ipsis Coronationis Comitiis Articulus hic ejusque confirmatio, ipsissimis verbis è Confirmatione Henrici Regis huc translatis, repetitur & inter Leges censetur: *A iz vvtey zacney Koronie Narodu Polskiego &c. Et quoniam in hoc Illustri Regno Nationis Polonicæ &c.* Constitut. pag. 275. Id quod alterò eorundem Comitiorum Statutò luculentiùs confirmatur *pag. 295. sub Tit. Interregni Acta. Wszystkie sprawy, Confœderacye, Warunki, przeszłych czasovv Interregni —— skutek svvoy miec maja &c. Omnia Acta, Confœderationes, Reservationes præteritorum temporum Interregni —— effectum suum habere debent. &c.*

Mortuò *Anno 1586. d. 12. Decembr.* Rege Stephanô subsecutum est Interregnum, ubi quemadmodum Confœderatio illa in specie ratione Pacis Dissidentium conservata & approbata sit mediante inter Senatores & Nobilitatem Palatinatuum Cracoviensis, Sendomiriensis, & Lublinensis sancitâ *die 27. Decembris* confœderatione, videre est ex *Volum. Constit. pag. 399. seq.* ibi: *Ktora Confœderatia Dissidentium de Religione iz przestrzega Pokoju —— in robore suo relinquimus. Quam Confœderationem Dissidentium de Religione, quandoquidem ipsa pacem & amorem fraternum jubet, in robore suo juxta suam continentiam in toto relinquimus.* Quod repetitur & approbatur in Instrumento *Kaptur* dicto *ibidem pag. 404. Przyrzekamy tez y postanawiamy —— Spondemus etiam & constituimus Pacem & amorem fraternum, ne dissidiis, obtrectationibus, jurgiis, scissionibus ullis locus sit, atq; universi in pace Deum colant. Quod ipsum quia etiam Confœderatio Dissidentium in Religione cavet, ideò eam quoq; juxta suam continentiam in suo plenissimo robore integram & inviolabilem relinquimus & approbamus*; & post pauca: *Omnes istos hactenus recensitos articulos spondemus pro Nobis & Posteris Nostris tàm in parte, quàm toto, constanter observare & custodire, sub fide, honore, & conscientiis nostris. Quodsi quis istis se opponere voluerit, pacemq; & ordinem publicum turbare ausus fuerit, contra talem omnes consurgemus in ejus destructionem.* Quò in locô etiam jurium hujus Confœderationis participes faciunt, iisque gaudere jubent *omnes Urbes, oppida, cujuscunq; Status & conditionis homines, nullis exclusis, decernendo, ut violatores eorum pœnis ibidem decretis succumbant.* dict. pag. 404. Subscripsit inter alios Petrus Myszkowsky Episcopus Cracoviensis pro se & aliis tunc absentibus.

Proximò *Anno 1587. die 7. Martii* subsecutâ est Confœderatio Generalis Varsaviensis, in qua prior illa inter Statuta denuò recepta *pag. 409. circa fin.* eidemque subscripsit inter alios etiam Episcopus Camenecensis Laurentius Goslicki. Eodem tempore, *die* scilicet *8. Maji anno 1587.* in *Consultatione circà necessaria quadam Reipublicæ Palatinatus Sendomiriensis* eadem Confœderatio ratione Articuli de Dissidentibus expressè & plenissimè confirmatur. *Vid. Volum. Constit. pag. 423.* ibi: *My Rady y Rycerstwo &c. Nos Senatores*

&

& Nobiles qui huc ad Pekryvvnice convenimus &c. &c. In *Consultatione* verò *posteriori ejusdem Palatinatus* violentia per destructionem & eversionem Ecclesiæ Cracoviensis gravissin à censurâ notatur, &, ne simile quid imposterum fiat, severè statuitur. *Nos Senatores Regni & Nobilitas Palatinatus Sendomiriensis. Cùm durante præsenti nostro Conventû nuncium ad Nos delatum sit Confœderationi recens vim illatam esse eversione Ecclesiæ Cracoviensis, hoc in passu Dominus Palatinus Cracoviensis, tanquam is cui Respublica illo in loco tranquillitatis publicæ procurationem commisit, hortandus est, ut officio suo diligenter defungatur. Istud verò facinus cùm meritò universam Rempublicam tangat, quandoquidem de conservanda Pace publica agitur Juramentis Regum nostrorum firmata, ostendemus, in proximâ Electione nos omnes urgere velle, ut Auctor sceleris, æquè ac qui illud perpetrarunt, severè puniantur, utq; huic rei ita imposterum prospiciatur ne similis petulantia civili, quod DEUS avertat, bello in Patria Nostra occasionem præbeat, quandoquidem facta ejusmodi minimè Christiana aliis Monarchiis ultimi ferè exitii causa extitêre.* Et paulò post: *Etiam Confœderatio inter dissidentes de Religione confirmata est; quam ad securitatem Reipublicæ pertinere, si, quæ aliis Regnis evenere, oculis subjiciamus, quis est qui non videat?* Vol. Constit. pag. 424. seq. Subsecuta est Electio Sigismundi III. *Varsaviæ die 19. Augusti anno 1587.* ubi, cùm Legatis Pacta à Serenissimo Rege subscribenda proponerentur, expresse fit mentio *Confœderationis inter Dissidentes* in verbis: *Confœderationem inter Dissidentes de Religione non solùm juramentô: uti à Serenissimis Henrico & Stephano Regibus Poloniæ & Prædecessoribus suis factum est, conservabit, verùm etiam Processum & executionem utrique parti servientem contra violatores ejus oblatam sub juramento observabit*— Vol. Constit. pag. 453. Tempore Coronationis Sigismundus Rex in *Juramento* iisdem verbis, quibus ante Eum cæteri Reges, Dissidentium securitati in sacris cavit: *Ego Sigismundus III. Dei Gratia Electus Rex Poloniæ spondeo ac sanctè juro — Pacem quoq; & tranquillitatem inter Dissidentes de Religione tuebor.* — Constit. pag. 446. Porrò in Confirmatione Jurium satis providè cautum: *Quod verò suprà hisce Literis Privilegia, Libertates Ecclesiasticas cum cæteris confirma-*

 veri-

rimus, id nihil articulo hujus juramenti derogare volumus, quòd videlicet Pacem & tranquillitatem inter Dissidentes de Religione tuebimur & manutenebimus——Quam inconcussè, firmiter, & inviolabiliter Nos observaturos promittimus ac spondemus. Cui Cautioni subscripta sunt nomina Archi-Episcopi, Episcopi Cracoviensis, Vladislaviensis, Przemisliensis, Samogitiæ, Camenecensis & aliorum Senatorum. *Vid. Volum. Constitut. pag. 449.* Prætereà quantâ solicitudine Paci huic inter Dissidentes Rex Sigismundus cautum voluerit, legi omninò merentur verba in Recessu Comitiorum Coronationis *in Volum. Constit. pag. 490. & 491. Item jakosmy Confœderacyą à w niey Pokoy &c.* h. e. *Item quemadmodum Confœderationem & in ea Pacem inter Dissidentes in Religione Christianâ, primùm Oliva, deinde hic in Coronatione Nostra, manutenere & tueri jurejurando promisimus, ita eadem semper fuimus sumusq; mente, ut processus & executio utriq; parti serviens contra violatores hujus pacis sufficienter constitueretur.* Et quia Tribunal Regni hanc etiam Pacem Decretis quibusdam turbare præsumebat, provisum est in Comitiis *Varsaviæ die 23. Novembr. Anno 1627.* celebratis sub Tit. *O Dekretach Tribunalskich, De Decretis Tribunalitiis pag. 9. Tribunal iz potestatem condendarum legum nie ma, &c. Quoniam Tribunali nulla data est potestas condendarum legum, sed solummodò secundùm leges à tota Republica statutas judicare tenetur: Proindè causas in volumine Legum non descriptas, neq; ad judicandum admittere, neq; pœnas irrogare; nec iisdem quempiam aggravare debet suprà id quàm Lege publicâ fuerint determinati. Et sicubi ejusmodi sententia sive clausula lata deprehendantur, quæ vim legis sapiant vel pacem publicam turbent, prout quædam additamenta in nonnullis Decretis novissimi Tribunalis Lublinensis id continent, iisdem nemo urgeri debet, imò Decreta talia nullitati subjecta sint.* Eum pariter in finem, & ne petulantiâ aliorum Dissidentibus molestiæ crearentur, in *Comitiis Varsaviensibus die 12. Martii anno 1631. habitis* sancita fuit hæc Lex *pag. 8. sub Tit.* Zatrzymanie pokoju pospolitego. *Conservatio pacis publicæ.* Iz pod prætextem Religiey Katolickiey &c. *Quoniam sub prætextu Religionis Catholicæ à licentiosis hominibus in Terris nostris varii tumultus & violentiæ excitantur, ex quo fit,*

ut

ut pax publica scindatur & plurima incommoda inde enascantur. Nos ergò pacem publicam & securitatem in Regno Nostro conservare licentiamq; ejusmodi coercere volentes, contra omnes, quicunq; tumultibus & licentiosâ petulamiâ publicam securitatem violare audebunt, forum coram Tribunali inter causas recentis criminis statuimus, & ut pœnis contra violatores pacis publicæ statutis puniantur decernimus.

Post obitum Regis Sigismundi III. tempore Interregni in *Confœderationis Cracoviensis Instrumento Kaptur dicto* & *Varsaviæ die 15. Julii anno 1632.* erecto & unanimiter approbato hæc leguntur: *Vinculum inter Nos ratione Dissidentium in Religione factum inviolabiliter in omnibus articulis, punctis & clausulis secundùm antiqvum Legum tenorem servare sanctè promittimus. Et si quis quacunq; ratione unionem hanc scindere præsumpserit, juxta obligationes superiùs nominatas adversùs eum procedemus.* Eôdem *Annô 1632. die 16. Julii* in *Confœderatione Generali Varsaviensi* omnium Ordinum Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ securitati pacis inter Dissidentes sequentibus provisum Ordinationibus: Przytym aby pokoy pospolity &c. *Insuper ne Pax publica ullâ ex causa turbetur, cavemus hoc Dissidentibus in Religione christiana, quòd pacem omnimodam Nos & Posteri Nostri invicem sub fide, honore & conscientiis conservabimus, propter ejusmodi differentias in Religione sangvinem non effundemus, neq; ob hanc diversitatem litem alicui movebimus, neq; confiscatione bonorum, infamia, carceribus, & exilio, aut quibuscunq; aliis pœnis invicem animadvertemus, neq; ulli Magistratui aut Officio ea in re auxilium præstabimus. Imò quodsi quis ea de causa sangvinem effundere, aut dicta pacta violenter rumpere præsumat aut pœnas superiùs recensitas extendere velit, omnes eapropter ad defensionem insurgere tenebimur, etiamsi quis sub prætextu alicujus Decreti aut Processus forensis id agere sustineat. Prætereà cavemus, ne Decreta Tribunalitia Regni & Magni Ducatus Lithuaniæ, quæ vim Legis sapiunt, contra securitatem & Pacem Dissidentium lata in quolibet officio ad executionem deducantur, prout Constitutione Anni 1627. expressè cautum habimus. Et sicubi contra hanc Constitutionem decreta aliqua aut protestationes intercesserint in quovis judicio, ea nullius valoris*

valoris esse declaramus. *Similiter Mandata omnia Pacem inter Dissidentes tollentia ex Cancellaria vivente Rege data nullius ponderis æstimabuntur , neq; imposterum extradentur.* *In Civitatibus Regiis , ubi in præsenti Dissidentes in Ecclesiis à se erectis publicô gaudent Religionis exercitiô eôdem imposterum quoq; , perindè ac nunc , gaudere & uti poterunt.* *Ubi verò Ecclesias in præsenti ad eum usum erectas non habent , eas ad evitandos tumultus ibidem erigere non debebunt.* *Utiq; privatim unicuiq; peregrè venienti devotionibus sacris in ædibus privatis tutò operam dare integrum est.*

Quantumvis Constitutio Anni 1631. contra violatores securitatis publicæ satis rigorosè sancita fuerit , declaramus tamen, quòd imposterum ejusmodi causæ violatæ securitatis Dissidentium à quacunq; persona cujusvis conditionis non inter Causas terminorum tactorum, sed Feriâ hebdomadis quintâ, ex speciali Regestro inter Causas recentium criminum judicari debeant , exceptô si fortè persona merè spiritualis in crimine deprehensa fuerit ; Tum delinquens Officio Spirituali tradi , & ibidem praviâ inquisitione judicari debet. *Ministri quoque in Religione Dissidentium si à quopiam quacunq; de causa citati fuerint , non debent habere forum , nisi in officio seculari competenti ratione quarumvis rerum & injuriarum , & in causis ex ipsorum Actoratu forum citati competens sequi ibiq; jus suum obtinere debet.* Et in fine : A te wszytkie rzeczy &c. *Quæ cuncta superiùs recensita pro Nobis & Posteris nostris servare firmiter , & sub fide , honore , ac conscientiis nostris tueri promittimus.* *Quicunq; verò his contravenire & pacem superiùs toties nominatam Ordinemque publicum destruere voluerit , contra talem omnes consurgemus in ejus destructionem.* Vid. Confœderatio Regni Generalis Anno 1632. die 16. Julii Varsaviæ inita pag. 3. 4. & in fine. Subscripta sunt Archi-Episcopus , Episcopi , Senatores approbando in omnibus & singulis hanc Confœderationem , nisi quòd Episcopi cum nonnullis Secularibus Romano-Catholicis *hic primâ vice* subscriptionibus suis adjecerint clausulam : *Salvis juribus Ecclesiæ Romanæ.* Ceterùm quòd talis clausula, sive, ut vulgò audit , salva Legi firmiter approbatæ nihil deroget , hôc ipsô *Annô 1632. in Comitiis Electionis Regis Vladislai IV. die 27. Septembr. ad Varsaviam celebratis* fat apertè in *Articulis Pa-ctorum*

ctorum Conventorum declaratum, atque ejusmodi Subscriptiones his sunt explicatæ, imò dilutæ, verbis: A iz w tey zacney Koronie Narodu Polskiego. &c. *Et quandoquidem in hoc Illustri Regno Gentis Polonicæ, Lithuanicæ, Russicæ &c. non pauci reperiuntur Dissidentes in Religione Christiana, præcavendo, exemplô Antecessorum Nostrorum, ne seditiones aliquæ aut tumultus occasione Religionis oriantur, cautum est novissimâ Confœderatione Varsaviensi Generali, ut in causa Religionis Christianæ Pax inter Dissidentes de Religione conservetur; Quam Nos inviolabiliter servare in perpetuum promittimus, non obstantibus quibuscunq; Protestationibus contra hanc Confœderationem post Convocationem factis, salvis juribus Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, integrâ nihilominus in omnibus Dissidentium de Religione Christianâ Pace & securitate, quemadmodum in Conventione Varsaviensi novissimè habitâ Confœderatione Generali descriptum & cautum est.* Ex quo factum, quod in Confœderationibus subsequentibus ubi Romano-Catholici subscribebant: *Salvis juribus Ecclesiæ Romano-Catholicæ*, ibi Dissidentes pari libertatis prærogativâ non dubitabant subscribere: *Ita salva sint Jura Ecclesiæ Romano-Catholicæ, ut illæsa maneant Jura & Leges Regni, tùm & liberum Religionis Dissidentium exercitium.* Item: *In quantum securitas & liberum exercitium Dissidentium Ecclesiæ non violabitur.* Vel ita: *Salvis per omnia juribus Dissidentium in Religione Christiana*, aut: *salvâ per omnia pace Dissidentium*, vel: *Non obstantibus quibusvis protestationibus & exceptionibus*, & Græcis Sacris addicti subscribebant: *Salvis Juribus veteris Ecclesiæ ritûs græci*, Item, *Salvis Juribus Ecclesiæ Orientalis &c.* Videantur *Subscriptiones Confœderationum General. passim.*

Atque ita Pacem inter Dissidentes in Religione idem Serenissimus Rex Vladislaus IV, utroque juramentô, tùm super Pacta Conventa *Varsaviæ in Ecclesia S. Joannis Anno 1632* tùm in Actu Coronationis *Cracoviæ die 6. Februarij 1633.* eodem verborum tenore, qui Juramenti Henrici, Stephani & Sigismundi III. fuerat, præstito firmavit. *Vid. Constit. Comit. Elect. Anno 1632. die 27. Sept. pag. 20. & Denuntiat. Regis Coronati pag. 4. 5.* nec non in Confirmatione Generali Jurium

M in

in Comit. Coronationis *Ao. 1633.* facta, & per Approbationem Actorum Interregni. Vid. *Constitut. dict. Comitior. pag. 12. Tit. Acta Interregni approbantur*, ubi Confœderationum expressa fit mentio. Post obitum Regis Vladislai IV. *Anno 1648. die 18. Julij* subsecuta Confœderatio Generalis, in quâ ipsissima verba Confœderationis Generalis *Anni 1632* supra allegata repetuntur, additâ in fine Declaratione hac notabili: *Hanc Confœderationem in omnibus punctis & clausulis pro Lege æterna habere volumus, & cuncta superiùs descripta spondemus pro Nobis & Posteris nostris constanter observare & manu tenere sub fide, honore & conscientiis nostris. Si verò quispiam istis contravenire & pacem superiùs in hac Confœderatione descriptam Ordinemq; publicum turbare voluerit, contra talem omnes consurgemus in ejus destructionem.* vid. dict. Confœder. pag. 3. & 16. In pactis quoque Conventis cum Serenissimo Rege Joanne Casimiro *Anno 1648.* Respublica securitati Evangelicorum prospexit, & ne clausula noviter reperta *salvis juribus Ecclesiæ Romanæ-Catholicæ* officeret, eô, quô *Anno 1632.* factum fuerat, modô declaravit, testante *articulo Pactorum Conventorum* vers. A yz wtey zacney Koronie &c. *Et quandoquidem in hoc Illustri Regno &c.* Vid. Porządek Elekcyey, sive *Ordo Electionis Anni 1648. d. 6. Octobr. pag. 15.* ipseque Serenissimus Rex Joannes Casimirus juramentis super Pacta Conventa *Varsaviæ*, & in Coronatione eâdem formulâ, quâ Anteceslores, præstitis, tum & Confirmatione jurium Generali *d. 23. Januar. 1649.* facta, pacem hanc confirmavit. *Vid. dict. Ord. Elect. pag. 25. & Constit. Comitior. Coronationis d. 1. Januar. Anni 1649. pag. 3. & 5.* Idem factum post Abdicationem Regis Joannis Casimiri in Confœderatione Generali *Varsaviæ d. 5. Novembris anno 1668.* inita *artic.* Przytim aby pokoy pospolity &c. *Adhæc ut pax publica &c.* & in articulis Pactorum Conventorum cum Rege Michaele anno 1669. conclusis *art.* A iz wtey zacney Koronie Polsky &c. *Et quia in hoc Illustri Regno Poloniæ &c.* Vid. Porządek Elekcyey &c. *Ordo Election. anno 1669. pag. 15.* atque in Literis juramenti ab Eodem Rege *Varsaviæ d. 7. Julij & Cracoviæ d. 29. Septembr. anno 1669.* præstiti. Porządek Elekciey *anno 1669. pag. 29.* & *Constitut. Comitior. Varsaviæ d. 9. Sept. 1670. celebrator. p. 4.* ac Confirmatione Jurium Generali *Varsaviæ sub tempus Comitiorum die 12. Septembr. 1670.* concessa *dict. Constit. pag. 8.* nec

nec non post obitum Regis Michaelis in Confœderatione Generali *Varsaviæ d. 15 Junij anno 1674. art.* Przytym aby pokoy pospolity &c. *pag. 3. in fine & pag. seq.* Pactis conventis cum Serenissimo Joanne III. *Anno 1674.* conclusis *art.* A yz wtey zacney Koronny &c. *Vid.* Porządek Elekcyey Warszawskiey *d. 12. Aprilis 1674. pag. 18.* Literis juramentorum ad pacta Conventa *Varsaviæ d. 5. Junij* & *Cracoviæ* sub tempus Coronationis *die 2. Februarij anno 1676.* præstitorum *dict.* Porządek *anno 1674. in fine.* & *Constit. Comitior. Coronationis an. 1676. pag. 4.* atque Confirmatione jurium Generali Cracoviæ in dictis Comitiis Coronationis *anno 1676.* subsecuta. *alleg. Constit. Comitior. Coronat. pag. 8.* Ibi: *Quod verò suprà hisce literis Privilegia libertates Ecclesiasticas cum cæteris confirmaverimus, in juramento nostro Ecclesias Catholicas Romanas nominaverimus, id nihil omnibus Ecclesiis Græcis & Privilegiis earundem obesse debet; imò eadem in suo robore conservamus, nec non & articulo huic Juramenti ne unquam derogare volumus, quòd videlicet pacem & tranquillitatem inter Dissidentes de Religione tuebimur & manutenebimus, quem inconcussè, firmiter ac inviolabiliter, & cum effectu Nos observaturos promittimus ac spondemus;* & tandem post fata Divi Joannis III. in Confœderatione Generali *Varsav. d. 28. Sept. anno 1696. artic.* O zachowaniu *inter Dissidentes in Religione* statecznego pokoju *pag. 3. seq.* his verbis: *De conservanda inter Dissidentes in Religione firmissimâ pace antiqua Jura & Confœderationes, in specie tamen Confœderationem Varsaviensem anni 1674. in toto reassumimus, circa quæ memoratos Dissidentes inviolabiliter conservamus, omnes præcedentium Interregnorum Confœderationes reassumendo spondemus, quòd ipsos circa Jura & Privilegia tuebimur & conservabimus.* Pariter in Pactis conventis cum Serenissimo Rege Augusto II. *die 27. Junij anno 1697.* initis *artic.* A yz wtey zacney Koronie &c. Vid. *Constitut. Comitior. Pacificationis die 16. Junij anno 1699. Varsaviæ habitorum pag. 7.* nec non utrôque juramento tum in finibus Regni *in Villâ Piekari* super articulis pactorum Conventorum *24. Julij anno 1697.* tum *Cracoviæ* tempore Coronationis *die 15. Septembr. anno 1697.* præstito. Vid. *Constit. Comitiorum Coronationis anno 1697. pag. 5. seq.* ac tandem in Confirmatione jurium Generali *Cracoviæ in Comitiis Coronationis d. 28. Sept. an. 1697.* facta, *dict. Constit. Comit. Coronat. p. 9. in fin. & seq.*

Præter hæc omnia hactenus recensita jura pro securitate Dissidentium liberrimoq; Religionis Augustanæ usu etiam militat Pax Polono-Svecica *Olivæ die 3. Maij anno 1660.* conclusa, in cujus *Articulo II.* non tantùm §. 2. generaliter dispositum: *Hac generali Amnestia gaudeant omnes & singuli cujuscunq; Status, conditionis, &* Religionis *fuerint—— nec ullis hoc bellum præjudicio & noxæ sit in suis Juribus, Privilegiis ac consvetudinibus generalibus & specialibus, tàm in Ecclesiasticis quàm in Civilibus profanisq;, quibus ante hoc bellum gavisi sunt, sed iis in totum fruantur secundùm Leges Regni;* verùm etiam §. 3. specialiter cavetur: *Civitatibus Prussiæ Regalis quæ in possessione Suæ Regiæ Majestatis Regniq; Sveciæ hôc bellô fuerunt, manebunt ibidem omnia Jura, Libertates, & Privilegia, quibus sive in Ecclesiasticis sive in profanis potitæ sunt ante hoc bellum (salvô liberô, uti ante bellum viguit, in prædictis Civitatibus Catholicæ & Evangelicæ Religionis exercitio) earumq; territoria, Magistratus, Communitates, cives, incolas, & subditos Sacra Regia Majestas Poloniæ eâdem, quâ olim, Clementiâ & Gratiâ Regiâ imposterum prosequentur, fovebit, & tuebitur.*

Pertinet huc etiam

Declaratio Illustrissimum & Excellentissimorum Dominorum Sacræ Regiæ Majestatis & Inclytæ Coronæ Sveciæ ad Tractatus Pacis Legatorum Plenipotentiariorum pro Pace ac Libertate omnium ab Ecclesia Catholico-Romana de Religione in Polonia Dissidentium in puncto Amnestiæ cauta.

Sacræ Regiæ Majestatis Regniq; Sveciæ ad Pacificationem in Borussia Legati Commissarii Plenipotentiarii.

„ Notum testatumque facimus. Quòd licet à Religione Romano-„ Catholica in Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithuaniæ „ dissidentes in moderno Instrumento Pacis Sveco Polonicæ Arti-„ culo de Amnestia secundo per expressum non sint nominati, dicta „ tamen Amnestia tàm generalis quàm specialis etiam illos concer-„ nat, eâque ipsi tota frui debeant. Neque enim Legationi Svedi-„ cæ mens fuit, ullas leges antiquas & antiquatas contrà hæreticos

sic

ſic dictos ſancitas, vel etiam novas durante hoc bellò (quod meritò «
præſumi debet ac poteſt nihil eſſe innovandum) latas hoc tractatu «
confirmandi, ſed potiùs, ut hâc pacificatione cuncta in eum ſta- «
tum, qui antè hoc bellum fuit, reducantur, nec cuiquam, quòd «
partes Sacræ Regiæ Majeſtatis Sveciæ ſecutus fuerit, ſub quocunq; «
prætextu noxæ & fraudi ſit efficiendi. Ac proindè declaramus ac «
teſtamur, verba in §. 2. præfati articuli *ſecundùm Leges Regni* ex «
parte Noſtra non aliam vel antehàc admiſiſſe vel etiamnum ad- «
mittere interpretationem poſſe, quàm ut unusquisq; ſine exceptio- «
ne, & cujuscunque Status, conditionis, aut Religionis ſit, gaude- «
re debeat juribus, privilegiis & conſvetudinibus tàm in Eccleſia- «
ſticis quàm in profanis ſecundùm Leges Regni, ſicut antè hoc «
bellum obſervatum fuit. In cujus rei fidem præſens atteſtatum «
manibus noſtris ſubſcriptum Sigillo Legationis majori roborari fe- «
cimus Sobothi die 31. & 21. Maji, 1660. Magnus Gabriel de la «
Gardie. Benedictus Oxenſtierna à Gyldenklau. Chriſtoph. Carolus
Schlippenbach. *Vid. Londorp. Actor. Publicor. Tom. IX. pag. 692.*

Quod ad *Civitatem Gedanenſem* ſpeciatim attinet, hanc ſub Divo Sigiſmundo Auguſto Rege Libertatem Religionis Auguſtanæ jam habuiſſe, ex Indulto Regio *ſuper libera adminiſtratione & libero uſu Sacro-Sancti Eucharistiæ Sacramenti ſub utraq; ſpecie Vilnæ fer. 2. poſt Feſtum Viſitationis Beatiſſimæ Mariæ Virginis proximâ Anno Domini 1557* conceſſo facilè colligitur. Eſt autem ejus Indulti tenor, ut ſequitur:

Sigiſmundus Auguſtus DEI Gratia REX Poloniæ, &c. &c. &c.

NOtum teſtatumque facimus præſentibus Literis Noſtris uni- «
verſis & ſingulis, quorum intereſt. Quòd cùm aliàs ſæpè «
multumque Nobis cùm per ſupplices libellos & internuntios ſuos «
humiliter ſupplicaſſet Senatus populusque Civitatis Noſtræ Geda- «
nenſis, tùm verò per quosdam Proceres & Conſiliarios Noſtros «
Ducatus Pruſſiæ inſtantibus precibus Nos obteſtaſſent, ut admi- «
niſtrationem Cœnæ Dominicæ juxta præſcriptum verbi DEI & «
veteris Eccleſiæ morem ſub utraque ſpecie, panis videlicet & vini, «
illis concedi dignaremur. Quam rem iidem Proceres & Conſiliarii «
pertinere arbitrabantur non modò ad ſanandas conſcientias mul- «

„ torum, verùm etiam ad retinendos eos in fidei, clientelæ & sub-
„ jectionis nostræ officiis. Nam esse ex eorum numero plerosque,
„ qui usuram tanti Sacramenti à multis jam annis non attingentes,
„ miserè & acerbè cum conscientiis suis luctentur. Quò fit, ut po-
„ pulus Magistratui non satis propensa & expedita voluntate officium
„ suum præstet, quòd in ejusmodi re, quæ & pia illis & verbo Dei
„ consentanea videtur, ad sanandas verò illorum conscientias ma-
„ gnoperè necessaria, Magistratum sibi deesse existimat. Nos etsi
„ sæpè id negotii in alia atque alia tempora rejeceramus, fore spe-
„ rantes, ut ope Concilii Sancti Oecumenici, saltem Nationalis, dis-
„ sidia Religionis tollerentur: tamen quia in conspicuo res est, &
„ tempora & Respubl. indies turbatiora apparere, & emergere,
„ subindè passim ubique bellorum tumultus, propter quos Concilii
„ celebrandi spes multò minor affulgeat ac olim: Ideò Nos, qui pro
„ virili parte ex officio Nostro Regio infirmitati hominum mederi &
„ conscientiis illorum consulere tenemur, non potuimus tot instantes
„ obtestationes fidelium subditorum nostrorum, tum & suffragia
„ Consiliariorum nostrorum illius Provinciæ, qui hoc nomine pro
„ illis laborant, negligere; maximè verò cùm intelligamus in Comi-
„ tiis Imperialibus, in quibus de conciliatione dogmatum Religionis
„ pro utraque parte laboratum est, de restitutione alterius speciei
„ non magnum fore inter Collocutores diffidium. Quapropter de
„ sententia & voluntate Eorundem Consiliariorum Ejusdem Provin-
„ ciæ permisimus & admisimus, prout præsentibus permittimus &
„ admittimus Senatui populoque Civitatis Nostræ Gedanensis libe-
„ ram administrationem & liberum usum Cœnæ Dominicæ sub utra-
„ que specie in Ecclesiis quibusvis omnibus hominibus utriusque
„ sexus & cujuscunque conditionis qui hoc Sacramento eó modó uti
„ voluerint infrà hinc & futura Regni Comitia Generalia ubicunq;
„ locorum celebranda. Promittimus verbo Nostro Regio, quòd
„ nemini à quoquam periculum creari, neminem periclitari patiemur,
„ qui utramque speciem Sacramenti Cœnæ Dominicæ sumpserint aut
„ sumere voluerint. Harum, quibus in fidem præmissorum Sigil-
„ lum Nostrum annulare est superappositum, testimonio Literarum.
„ Datum Vilnæ, feriâ secundâ post Festum Visitionis B Mariæ Virginis
„ proximâ Anno Domini M D LVII. & Regni Nostri XXVIII.

Post mortem Regis Sigismundi Augusti primam Cautionem Regiam super libero Religionis Augustanæ exercitio Rex Stephanus Civitati Gedanensi dedit his verbis:

Stephanus DEI Gratiâ REX Poloniæ Magnus Dux Lithuaniæ, nec non Terrarum Cujaviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Russiæ, Prussiæ, ac Culmens. Elbingensis, Pomeraniæ, Livoniæq; tùm etiam Transylvaniæ Princeps.

Significamus præsentibus Literis Nostris quorum interest universis & singulis præsentibus & futuris harum notitiam habituris " Quòd cùm à Nobis petiissent Internuncii Civitatis Nostræ Gedanensis, ut illi liberum usum & professionem Religionis Augustanæ Confessionis concederemus, Literisque Nostris id illis firmum & stabile esse debere caveremus, Nos, qui jampridem in Conventu Coronationis Nostræ atque priùs in Transylvania juramentum de Religione servanda præstitimus, facilè consensimus, ut iteratâ promissione Nostrâ, ita petentibus Civitatis Nostræ Internunciis, denuò etiam promittamus & concedamus, ut Religionis Augustanæ Confessionis tàm in Civitate Gedanensi, quàm extrà muros in ejus Districtu & Jurisdictione, Templis, Monasteriis, Xenodochiis, ut sub adventum Nostrum in Regnum utebantur, & in ejus possessione fuerunt, pacificè & quietè libera professio fiat, neque cuiquam Religionis ergò molestia vel negotium exhibeatur, omnesque in libero usu Augustanæ Confessionis conservabimus, manutenebimus, & tuebimur, quemadmodum id tàm in Transylvania, quàm posteà etiam Cracoviæ juramento affirmavimus, nec volumus, ut in Templis ritus Ceremoniarum ullò pactò immutentur. In cujus rei fidem præsentes manu Nostra subscripsimus, Sigillumq; Nostrum appendi jussimus. Datum Mariæburgi die 16. Mensis Decembris Anno 1577. Regni Nostri secundò.

Ubi obiter notandum, clausulam de ritibus ceremoniarum non immutandis Cautioni huic propter Calvini dogmata professos, utpote ad ritus ceremoniarum immutandos nimiùm tunc proclives, instantibus Augustanæ Confessioni addictis insertam fuisse.

Ean-

Eandem porrò Cautionem iisdem verbis reiteravit D. Sigismundus III. *Cracoviæ in Conventu Coronationis die 11. Januarii Anno 1588.* tum & D. Vladislaus IV. *Cracoviæ in Comitiis Coronationis d. 10. Martij Anno 1633.* Item D. Johannes Casimirus *Cracoviæ in Conventu Generali Coronationis die 6. Februarij, anno 1649.* ibi: „ Ut Religionis „ Augustanæ Confessionis tàm in Civitate Gedanensi, quàm extra „ muros in ejus Districtu & Jurisdictione—imposterum quoque, „ uti temporibus Divi Parentis & Divi Fratris Nostri in usu & posses- „ sione fuit, pacificè, quietè, libera professio Samentorumque ad- „ ministratio permaneat, neve ea de causa Civitati ejusque incolis „ publicè aut privatim molestia vel negotium exhibeatur aut impe- „ dimentum ullum afferatur, Authoritate Nostra Regia prospicere, „ omnesque in libertate Religionis Augustanæ Confessionis plenè ac „ integrè conservare, manutenere, & tueri, neque in possessione „ illius Civitatem Gedanensem turbare, aut à quopiam turbari per- „ mittere temporibus quibuslibet futuris pro Nobis & Successoribus „ Nostris Regibus Poloniæ recipimus ac spondemus; Nec non D. Michael Rex *Cracoviæ in Conventu Coronationis die 9. Novembris An. 1669.* atque Divus Joannes Tertius *Cracoviæ in Comitiis Coronationis die 26. Aprilis anno 1676.* & tandem iisdem verbis Serenissimus Rex Augustus II. *Varsaviæ die 30. Januarij anno 1698.*

Quemadmodum verò ex adductis indubium manet, libertatem Religionis Christianæ in Regno Poloniæ incorporatisque Provinciis adeoque & in Terris Prussiæ & ad has pertinentibus Civitatibus, adeò firmis inniti fundamentis, ut inter Dissidentes in Religione Christiana Pax & Tranquillitas publica esse, nec ullâ ratione interturbari, nec quisquam sub prætextu Religionis periculô affici debeat: ita sequentes indè necessariò promanant Conclusiones.

Prima est, quòd inter Romano-Catholicos & Augustanæ Confessionis socios sit æqualitas jurium, quatenus formæ Reipublicæ conformis. Ratio Ima quia scopus & finis præallegatarum Cautionum, Confœderationum, Pactorum Conventorum, & Juramentorum Regiorum, qui est, ut Pax & Concordia conservetur, obtineri aliter nequit, siquidem impossibile est, inter eos qui ejusdem

sunt

sunt conditionis & status servari posse pacem & tranquillitatem, si dispari & inæquali jure debeant gaudere ; Adhæc IIdò ipsa vult Æquitas, ut quod quisque juris statuit in alium, eò ipse utatur. IIItiò Æqualitas quàm maximè servanda est in pactis interpretandis & judiciis, adeò ut ob æqualitatem servandam à Regulis juris communis sæpè recedatur, omnisque IVtò dispositio ad eum reducenda venit sensum qui æqualitati magis accedit. Atque ita si Pax publica in Regno Poloniæ in Causis Religiosis & profanis conservanda est, oportet constans jus & æquum observetur, & relinquantur Statibus tàm Evangelicis quàm Catholicis sua Jura, Libertates & Privilegia, ita, ut quod uni parti justum est, alteri quoque sit justum, violentiâ omni & viâ facti in perpetuum cessante.

Secunda Conclusio est, quòd quidquid singulæ harum Religionum de fide & necessariò credendum esse judicant, illud quoque docere, agere, modestè & absque turbis defendere, nec, dum id fit, uni parti alteram hæreseos inculpare, sive, ut vulgò loquuntur, hæretificare liceat. Sicuti enim inane saltem foret Libertatis Religionis nomen, si dogmata fidei proponere, publicè docere, & quæ illis contrariantur ore & scriptis pro rei necessitate eum prudentia Theologica sine acerbitate refutare, adeoque modestò, ut vocatur, Elenchò uti non concederetur: ita illos pro hæreticis velle habere, quorum Religio Legibus publicis asserta, inter quos unio & Confœderatio inita, & quibus æqualis protectio promissa, maximam sapit injuriam. Quorum consequens est, licere ea omnia peragere, quæ Religionis suæ ratio & institutum efflagitat, tum & quòd Magistratus tot Doctores ac Ecclesiæ Ministros, quot sese opus habere arbitratus fuerit, ad docendum populum adsciscere, nec non Templa Religionis exercitio necessaria exstruere & conservare, nequaquam prohiberi possit, quia Exercitium Religionis sine his consistere nequit, concessò autem exercitio concessa censentur omnia quæ ex necessitate quadam consequuntur, sine quibus illud aliàs inutile foret, ne unâ viâ concessum alterâ rursus auferatur.

Conclusione *Tertiâ* infertur, quòd Libertas hæc Religionis ab unâ aut alterâ parte nullatenus tolli queat, nec ullâ ratione aut viâ eidem contravenire fas sit. Ratio, quia Natura Cautionum,

Confœderationum, Pactorum & Juramentorum exigit, ne illó, cui, & cum quo facta, invitó enerventur aut oppugnentur, vinculó fidei & obligationis inter homines maximè periclitaturó, si, quæ inter ipsos semel placuerunt, juramentoque firmata sunt, pro lubitu ab alterutro revocari & annullari possent. Spectat huc omninò etiam Recessus ab unâ Religionum permissarum ad alteram Religionis libertati tàm arctâ colligatione connexus, ut hæc vetitó illô salva & integrâ haberi nequeat, cùm & ipsa Jura allegata publica & Cautiones Regiæ illis ab initio data fuerint qui à Romanâ Ecclesiâ recessum fecerant. Atque si vigore Pactorum cum Serenissimis Regibus Conventorum *integra in omnibus inter Dissidentes de Religione Christiana Pax & Securitas esse ac servari, nec juxta formulam Juramenti Regij quiquam ullò modò affici opprimiq; causâ Religionis debet*, certè eandem pacem & securitatem etiam quoad hoc punctum transitûs de unâ Religione ad aliam præstare, neque taliter transeuntes quâcunque ratione, sive in personis sive in bonis, damnis & periculis afficere ac opprimere necessum est. Accedit, quantum in specie *ad Civitatem Gedanensem* attinet, & hoc, quòd, quemadmodum primâ illâ solenni Cautione Regiâ Divi olim Stephani Anno 1577. factâ Civitati huic promissum, ut Religionis Augustanæ Confessionis ita, *uti sub adventum Serenissimi Regis in Regnum utebantur & in ejus possessione fuerunt*, pacificè & quietè libera professio fiat, *neq; cuiquam Religionis ergò molestia vel negotium exhibeatur*, jam verò extrà omne dubium positum est, tunc temporis quamplurimos à Religione Romano-Catholica ad Religionem Augustanæ Confessionis transitum fecisse, atque hanc in possessione liberè & citrà ullam alicujus molestiam recipiendi & fovendi hujusmodi transeuntes fuisse: ita huic libertati antiquæ & possessioni subsecutis Divorum Successorum Regum Poloniæ, qui non interruptó Ordine Sceptrum tenuerunt, nec non moderni Serenissimi feliciter Regnantis Cautionibus Regiis sufficienter prospectum est, singulis libertatem Religionis Augustanæ Confessionis Civitati huic ita, uti temporibus Divorum Prædecessorum in usu & possessione fuit, obfirmantibus, neque in possessione illa Civitatem turbare, aut à quopiam turbari permittere, tùm & ne Religionis causa Civitati ejusque incolis publicè aut privatim molestia exhi-

exhibeatur, aut impedimentum ullum afferatur Authoritate Regiâ prospicere, omnesq; in libertate Religionis Augustanæ Confessionis plenè ac integrè conservare, manutenere & tueri, temporibus quibuslibet futuris pro se & Successoribus Regibus Poloniæ spondentibus. Nec obstat, tùm quòd in Confœderatione Regni Generali *Anno 1632. Varsaviæ* facta Dissidentibus nova Templa erigere primâ vice interdici voluerit, tùm quòd idem Interdictum in subsecutis *Ann. 1648. 1668. 1674. & 1696.* Confœderationibus repetitum, insimulque dictô *An. 1668* in solenni post Abdicationem Serenissimi Joannis Casimiri Regis Ordinum Regni Convocatione Confœderationi publicæ insertum sit, eos, qui à Romano Catholica fide transitum fecerunt, pariter ut Arrianos à libertate & pace Religionis Dissidentibus in Religione Christiana assecurata excludi debere his verbis: Arriani uti Lege publicâ pro- « scripti, nec non Apostatæ à fide Catholica Romana & unitorum « ab hinc transeuntes, non debent sub hac Confœderatione tegumen « suum habere, imò verò omnes Constitutiones de Arianis sancitas « reassumimus & confirmamus perpetuis temporibus. Apostatæ au- « tem præmemorati adhinc convicti in foro fori exilio puniendi erunt. « *Confœderatio Varsaviensis Anni 1668. pag. 5.* per *Constitutionem Comitiorum Coronationis Anno 1670. Tit. Approbatio Actorum Interregni pag 11. confirmata.* Quæ clausula etiam iisdem prorsùs verbis in *Confœderatione* post fata Divi Michaelis Regis *Anno 1674. inita* subsequenter per *Constitutionem Anni 1676.* approbata, nec non post obitum Serenissimi olim Regis Joannis III. *Anno 1696.* sancitâ *Confœderatione*, utpote in quâ à pace Religionis Apostatæ, additis Quakeris & Mennonistis, eximuntur, repetita exstat. Vid. *Confœderatio Generalis Varsaviensis Anni 1674. pag. 5. Constitut. Comitior. Coronat. Anni 1676. Tit. Approbatio Actorum Interregni pag. 12. Confœderatio Generalis Varsaviensis Anni 1696. die 29. Augusti pag. 4.* Etenim constat, quòd contrà præjudiciosum Confœderationis Anni 1632. articulum sub tempus Comitiorum Electionis in Campo Electorali nomine Thorunensis & Gedanensis Civitatis per Secretarios tunc præsentes non tantùm oretenus protestatum, sed & Scriptum Manifestationis oblatum & à Mareschallo Equestris Ordinis Illustri Jacobo Zobieski publicè lectum fuerit sequentis tenoris:

Quo-

„ Quoniam in ſcripto à Dominis Deputatis ratione ſecuritatis
„ Diſſidentium in Religione concepto mentio fit Provinciarum Re-
„ gno annexarum, Terras verò & Civitates Pruſſiæ ita Regno Po-
„ loniæ annexas & incorporatas eſſe conſtat, ut nihilominus pecu-
„ liaria ſua Jura ſemper habuerint, quæ velut in univerſum nihil
„ in nos conſtitui ſine nobis, nec quicquàm oneris nobis imponi
„ permittunt, ſic invitis nobis ulla in parte immutari nequeunt:
„ Ideò internuncii Civitatis Thorunenſis ac Gedanenſis indemnitati
„ Civitatum Pruſſiæ præcavendo per expreſſum manifeſtant, qua-
„ tenus in Confœderatione proxima vel moderna ejus confirmatio-
„ ne aliquid continetur, quod in præjudicium præfatarum Civita-
„ tum ſiniſtrâ interpretatione quoquó modó allegari poſſet, id
„ ipſum Juribus, Privilegiis, ac Immunitatibus ſuis, adeoque &
„ *libertati Religionis ac rebus ad eam pertinentibus*, nihil omninò
„ officere ac derogare poſſe aut debere, quin potiùs easdem Ci-
„ vitates in libera & â Sereniſſimis Poloniæ Regibus ſibi conceſſa
„ Religionis profeſſione ſine cujusquam impedimento porrò relin-
„ quendas, neque ullâ ratione, vel ſub quocunque prætextu, in eo,
„ quó hactenus fuerunt, uſu & poſſeſſione turbandas, minores
„ etiam Civitates, quibus Libertas iſta in Religionis exercitio de
„ facto adempta eſt, in priorem ſtatum reſtituendas eſſe.

Pariter contrà inſertum præallegatis Confœderationibus de Apoſtatis à fide Catholica-Romana articulum, huncque confirmantes Conſtitutiones Regni præjudicioſas, tùm Status & Ordines Terrarum Pruſſiæ univerſi per Lauda Manifeſtationum ac Proteſtationum in Conventu Generali Mariæburgenſi *die 30. Auguſti Anno 1696.* item in Conventu Generali Graudentinenſi *die 26. Januarij anno 1671.* & Conventu Generali pariter Graudenti celebrato *die 14. Julij 1676.* diſſenſum ſuum teſtati ſunt, tùm in ſpecie Civitates Majores, tàm ratione interdictæ erectionis templorum *in Caſtro Zakrocinenſi ferâ quartâ, ipsô die & Feſtô Transfigurationis Chriſti Domini anno 1648.* quàm contrà articulum de Apoſtatis *Graudenti anno 1699. die 3. Februarij* item in Conventu Generali Graudentinenſi *coram Actis Civilibus Graudentinenſibus die 5. Februarij anno 1671.* nec non *anno 1672. die 16.*

die 16. Januarii & *anno 1674. die 9. Aprilis*, utràque vice in Conventibus Generalibus *coram iisdem Actis Civilibus dictæ Civitatis* & tandem coram sæpe dicto *Judicio Civili Graudentinensi die 20. Novembris anno 1696.* solennissimas interposuerunt protestationes, omni meliori modó præcaventes, " ne dictus articulus Confœderationibus & anterioribus & novissimæ insertus Civitatum juribus, " Privilegiis ac Immunitatibus, adeoque & libertati Religionis, " rebusque & personis ad eam pertinentibus, ullò modo officere " vel derogare possit ac debeat, quin potiùs eædem Civitates in " libera à Serenissimis Poloniæ Regibus eis concessa Religionis " professione, sine cujusquam præpeditione porrò relinqui, neque " ullâ ratione, vel sub quocunque prætextu in eo, quó hactenùs " fuerunt, usu ac possessione præpediri, neque clausula de Apo- " statis ad Articulum de libertate Religionis Dissidentium ad Terras " atque Civitates Prussiæ earumque cives vel incolas extendi, nec " iisdem præjudicare & ut minorum quoque Civitatum libertas Re- " ligionis salva semper & illœsa manere debeat. Hàc eàdem ra- " tione cùm in Comitiis *Anno 1685. die 16. Februarij Varsaviæ* celebratis sequens placuisset Constitutio, sub Tit. *Regestr Aryanski, Regestrum Arianorum*: Poniewaz *ultra mentem* Constitucyey *An. 1658.* Quandoquidem ultra mentem Constitutionis Anni 1658. & alia- " rum omnium subsecutarum contrà Sectam Arrianorum statutarum, " & contrà Naturam Causarum, ad Regestrum Arrianorum in Ju- " diciis Tribunalitiis trahi solent & judicarei per abusum diversæ " conditionis homines Sectâ hàc non contaminati: propterea huic " obviando statuimus, ut ad Regestrum illud nullæ personæ tra- " hantur in Causis quibusvis; præsertim juris, fundi, administra- " tionis justitiæ, & aliis, nisi tantùm professione mere Arriani, " Apostasiæ Judaismi, Sacrilegii, violentiæ & obsanguinolationis " in Ecclesia vel Cœmeterio rei, ac eorum fautores & complices, " idque sub pœna evocationis quingentarum Marcarum, & nullitate " judicatorum, ac condemnationum. *Vid. Constitut. Anni 1685. Tit. Regestr Aryanski pag. 20.* Civitates Prussiæ majores in primo post Comitia *Graudenti die 21. Augusti ejusdem Anni 1685.* habito Conventu Generali solenni Manifestatione & Protestatione *Actis Civilibus*

Graudentinensibus ingrossatâ contra præjudiciosas Constitutiones dictis in Comitiis Regni quocunque nomine introductas, & inprimis contrà „ hanc sub *Titulo: Regestr Aryanski* sibi prospexerunt, quòd nimirum „ in quantum Juribus ac Indultis Privilegiorum Civitatum Prussiæ „ quoad liberum exercitium Religionis Augustanæ Confessionis ad- „ versa est ac præjudicet, Civitates, Cives ac Incolas minimè afficere, „ nedum rigore suo involvere debeat ac valeat.

Facit huc

Laudum contra indebitam ex prætensa causa Apostasiæ & Arrianismi ad Judicium Tribunalitium Lublinense factam evocationem & condemnationem certarum personarum & incolarum Civitatis Gedanensis.

„ NOs Status & Ordines Terrarum Prussiæ in moderno Conventu „ Generali Mariæburgi congregati Universis & singulis, quorum interest, notum testatumque facimus. Quód cùm Nobis in- „ notuit, quatenus Dn. Nathanael Dilger, Augustanæ Confessionis „ in Civitate Gedanensi Ecclesiastes, Dn. Martinus Zweck Veteris „ Civitatis Scabinus, & Daniel Memsen Civis & Mercator ibidem, ex „ prætensa causa Apostasiæ & Arianismi, ad Judicium Tribunalitium „ Lublinense evocati, & juxta obloquentiam Decreti in pœnas banni- „ tionis, infamiæ &c. condemnati fuerint: Proindè præcavendo „ autoritate præsentis Conventus, ne per evocationem ejusmodi ad „ fora incompetentia jura & libertates harum Terrarum & Civitatum, „ ordoque instantiarum labefactetur & convellatur, statuimus & decernimus, quòd præfatos Dn. Nathanaelem Dilger, Dn. Martinum „ Zweck, & Danielem Memsen, non obstante istâ condemnatione „ tanquam in foro incompetente lata, circa pristinum honoris & „ securitatis suæ statum conservandos esse duximus, prout etiam con- „ servamus præsentis Laudi vigore. In præmissorum fidem Sigillum „ Terrarum hisce subappressum est. Actum & datum in Conventu „ Generali Mariæburgi die 8. Julii Anno 1671.

Nec omittenda quæ Statibus & Ordinibus Terrarum Prussiæ contrà injustam vocis *Haeretici* in Dissidentes de Religione derivationem placuerunt, ut videre est

Ex

Ex Instructione à Statibus & Ordinibus Terrarum Prussiæ Nuntiis ad Comitia Generalia Varsaviæ die 27. Augusti anno 1668. celebr. ex Conventu Generali Graudentinensi die 3. Augusti dicti Anni 1668. data.

"Quandoquidem Decretum Tribunalitium inter Illustrem & Magnificam Castellanam Gedanensem Annam á Czemen Capitaneam Stumensem, bonorum Lichtenfeld Hæredissam, & Per-Illustrem & Admodùm Reverendum Stanislaum Zerumbski Culmensem, Kruszvicensem Canonicum, Tyrgartiensem Præpositum Petricoviæ in Juditiis Tribunalitiis Regni feriâ 6. post Dominicam Septuagesima proximâ Anno Domini 1668. ratione Ecclesiæ in Bonis Lichtenfeld latum certa aggravantia, quæ vim legis sapiunt, in se comprehendit, & contra Constitutionem Anni 1627 Pacem Dissidentium, *Hæreticos eôdem Decretô injustè nominando*, labefactat, instabunt Domini Nuntii, ut Lege publicâ caveatur, ne Decretum hoc in ea parte nec ad exemplum, nec ad præjudicatum, executioni perpetuis temporibus subjaceat, nec in sequelam unquam hoc *infame nomen Hæreticorum à Dissidentibus planè alienum* tám Decretis Tribunalitiis, quàm præjudicato vel exemplo, in futurum deveniat. Quod negotium ita sibi habeant recommendatum, ut aut hoc, aut nullum, pertractandum sit."

Atque hæc demonstrandis Juribus quibus Pax inter Dissidentes liberumq; Religionis Augustanæ Confessionis exercitiū innititur, sufficiant.

XI.

Ad Tom. III. Epist. 9. p. 60. sq. A. C. Zaluski Princeps, Episcop. Varmiens. & Sambiens. Magistratui Gedanensi 7. Aug. 1701.

Responsoria Magistratûs Gedanensis ad has Literas.

Celsissime Princeps,
Illustrissime, Reverendissime, & Excellentiss. Domine,
Domine Gratiosissime.

Quòd Celsitudo Vestra datis ad nos d. 7. Augusti Anni præsentis literis super negotio laudatarum in ultimo Conventu Mariaburgensi

gensi ex parte Equestris Ordinis extraordinariarum Contributionum suam nobis mentem gratiosissime aperiri dignata fuerit, id sicut gloriosæ Celsitudinis Vestræ pro salute non tantùm Provinciæ, sed & Civitatis hujus, sollicitudini meritô acceptum ferimus, debitoq; venerationis cultu prosequi nunquam intermittemus; Ita nihil magis habuissemus in votis, quàm ut iisdem literis magis festinatis assurgere responsoriis nobis integrum fuisset. Nec defuimus ratione præfatarum Contributionum cum cæteris Civitatis Ordinibus sedulas habere consultationes & quæ desuper Celsitudo Vestra ad nos perscripsisset iisdem communicare. Cùm verò quæ intercesserunt difficultates variæ, imprimis autem insperatos ille casus, quô contra antiquissima Civitatis hujus Privilegia Copiæ Saxonicæ per bona nostra patrimonialia hospitari nuper præsumpserunt, consiliorum istorum cursum stiterint: Proinde in celebratissima Celsitudinis Vestræ æquanimitate illam reponimus fiduciam, fore, ut huic moræ gratiam facere dignetur. Ex quo verò præfato Milite Saxonico fundos nostros videre licuit evacuatos, non cessavimus interrupta ad tempus consilia reassumere, eoq; nostram vertere curam, ut quantum fieri posset maturarentur. Equidem multæ Ordinibus & gravissimæ suppeterent rationes quæ permovere illos possent, ne majores, quàm quæ in memorato sæpius Conventu ex parte Civitatum majorum declaratæ fuerunt Contributiones, nimirum 59. accisas, consentirent. Præterquam enim quòd ulterius sese nostri Domini Ablegati in Conventu illo non obligaverint, nec ob defectum Instructionis obligare potuerint, non poterit ipsos Inclytos Provinciæ Status & Ordines latere, quàntos hæc Civitas aliquot jam abhinc annis ob præsidium, postulantibus id necessitatibus, solitô numerosius non suô tantùm, sed Provinciæ etiam, imò totius Regni bonô, sumptus habuerit faciendos; Nec minus in publicum constat, quanta impendia efflagitaverit instituta ad Aulam Regis Christianissimi Deputatio; Terret insuper nos adhucdum ejusdem Regis Serenissimi Declaratio, quâ ab hâc Civitate ducenta librarum millia exiguntur; Nec potest exprimi satis, quantum nobis afferat detrimenti interdictus in Gallia usus commerciorum per ipsam temporum infelicitatem jam tùm satis langventium, ne dicamus quicquam de gravissimo duorum millionum ære alieno, quô sub tempore belli Svecici Civitas hæc, ut Reipublicæ

blicæ succurreret necessitatibus, se obstrinxit, nec ob non secutam adhuc ex parte Reipublicæ solutionem liberari hucusq; potuit, usuris intereà publicas Civitatis facultates nimium quantum affligentibus. Tot verò tantisq; malis novissimè accesserunt insignia damna à Milite Saxonico bonis nostris patrimonialibus illata, atq; in notabilem proventuum Civitatis hujus diminutionem redundantia. Verumenimverò hæc quanquam ita sint, prævaluit tamen apud universos Civitatis hujus Ordines enixa multisq; argumentis testata publicas Provinciæ necessitates sublevandi promptitudo, effecitq;, ut illi declaraverint, hanc Civitatem ratione accisarum & triplicis subsidii personalis suis non defuturam partibus, quàmprimum eidem certò constiterit, ex parte Ordinis Equestris atq; ex bonis spiritualibus omnes istas Contributiones, quas in memorato sæpius Conventu Equestris Ordo declaravit, reapse in Thesaurum esse illatas, præprimis cùm in locis nobis vicinioribus ne quidem colligendæ vel contributionis tonnariæ vel subsidii personalis initium hucusq; factum fuisse acceperimus. Quæ dum Celsitudini Vestræ ea quâ par est cum observantia insinuamus, certâ erigimur fiduciâ Celsitudinem Vestram inde gratiosissimè æstimaturam, quàm seriis exoptemus votis, ut cùm Illustrissima Excellentiæ Suæ, Supremo Exercituum Regni Duci, ratione erogatarum in usum Provinciæ summarum debitè satisfiat, tùm & militi egenti promerita solvantur stipendia. Cujus rei luculentum jam ante dedimus argumentum, cùm in usum Illustrissimi Exercituum Regni Ducis intuitu 59. accisarum assignationes ad summam centum & viginti octo millium florenorum acceptavimus, adeò ut mirari meritò subeat, quâ ratione nova 240000. florenos continens assignatio in nos dari potuerit, cùm Summæ adeò enormi exsolvendæ neq; residuas accisas, neq; quod subsidii personalis loco offerri potest, sufficere res ipsa loquatur. Proindè à Celsitudine Vestra enixissimis contendimus precibus, dignetur pro summa sua prudentia eò rem dirigere, ut dictæ modò declarationis digna habeatur ratio, nec sub nomine executionis militaris Civitati huic quicquam inferatur incommodi. Dignum hoc erit sublimi, quô Celsitudo Vestra fulget, Præsidialis dignitatis fastigio, nosq; hanc gratiam deprædicare & debitâ obsequiorum nostrorum promptitudine demereri annitemur, Eidem de cætero inter vota omnigena felicitatis Nos & Civitatem hanc universam observantissimè commendantes. Dabantur Gedani die 30. Septembr. 1701.

XII.

Ad Epistol. XVII. pag. 139. seq. A.C. Zaluski Princeps Episcopus Varmiensis & Sambiensis Magistratu Gedanensi.

Responsum Magistratus ad easdem Literas.

Celsissime Princeps,

Illustrissime, Reverendissime & Excellentiss. Domine, Domine Gratiosissime.

Singularem Celsitudinis Vestræ in nos & Civitatem hanc propensionem quemadmodum ex gratiosissimis Ejusdem ad nos expeditis literis colligere gratissimum nobis fuit; ita inter præcipua meritò reponeremus, si quem aliàs constanter fovemus addictissimum Celsitudini Vestræ ad obsequia animum, in eo quoq;, quod commendare nobis dignata est, contributionum negotio contestari possemus. Calcaria adderent sponte currentibus, & innumera Illustrissimi atq; Excellentissimi Supremi Regni Exercituum Ducis in Rempublicam merita, & beneficentissima, quâ Civitatem hanc complectitur, gratia: Ast retardavit progressum aliquantisper istius negotii gravitas, quæq; vita bonisq; omnibus longè anteferenda est, libertatis & jurium conservatio moram poposcit. Etenim, cùm in publicum constet, Deputatos Civitatum ad Conventum Mariaburgensem in extraordinarios Contributionum modos neutiquam consensisse, neq; ex defectu instructionis in eos consentire potuisse, quis est, qui non intelligat, quantum Civitatibus, ubi ad ea, quæ non laudarunt, constringi volunt, præjudicium inferatur? Neq; sine dubio quicquam obstat, quod Domini Deputati Civitatum negotium illud & cum Principalibus suis communicare, & declarationem Illustrissimo Domino Thesaurario exponere promiserint, cùm nullam ex tali promissione nasci obligationem ipsa ratio dictitet. Quid quod jura Terrarum Prussiæ & praxis continua declarationes ejusmodi Illustrissimis Dominis Thesaurariis faciendas non anteà validas esse jubeant, nisi etiam, tanquam in causa notabiliori, in Conventu subsequenti publicè exposita, & per novum Laudum confirmata

fue-

fuerint. Hæ & aliæ rationes quamplurimæ, quas inter non ultimæ & illæ sunt, quòd Civitas ista durissimis partim temporibus suis sese conservare mediis, partim totius Regni bono, ex quo duo milliones in Comitiis Regni liquiditati ei adhuc debentur, grandi ære alieno, necdum soluto, obstringere, præsidium deniq; postulantibus id necessitatibus solitò numerosius alere debuerit, uti justum invenire merentur locum apud illos, quibus jura & salus Civitatis hujus curæ cordiq; sunt; ita facilè ab extraordinario isto contribuendi onere, personalis scilicet subsidio, absolvere nosmet potuissent. Patriam tamen magis quàm opes considerantes, cùm jam anteà ratione 59. Accisarum, centum & viginti octo florenorum millia accepta vissemus, Ordines Civitatis, quibus negotium istud sredere non imperate potuimus, non vi Laudi, sed ex spontaneâ voluntate, primò quidem per æquivalens, tandem verò ubi in antecessum, qui primùm laudâsset, Ordo Equestris Bonaq; Spiritualia ex omni parte Laudo supramemoratæ satisfecissent, nobisq; quod in laudando fecerat, in exsolvendo quoq; suô præivisset exemplô, in subsidium illud personale, tonnariâ tamen contributione, cùm in eam consentire rationes Civitatis hujus neutiquam paterentur, penitus exclusâ, condescenderunt. Quô ipsô cùm ab odioso illo renitentiæ nomine sufficienter nos liberâsse credideramus, mirari meritò nunc subit, postquam nec Ordinem Equestrem, nec Bona Spiritualia debita sua in Thesaurum intulisse publicè constet, instanter adeò subsidii personalis exsolutionem per minas quoq; imò & bannitionem, quæ nuperis diebus ad instantiam Generosi Klinski modô indebitô & insolitô in foro nullo, in Castro nimirum Skarszeviensi, publicata fuit, ab hac Civitate urgeri. Dici certè vix potest, quantum attentatum istud Civium commoverit animos, neq; potuimus, quin jurium & libertatis Civitatis pro conscientia & officii nostri debito æquam habentes rationem, justum doloris sensum per publicam manifestationem declararemus. Eundem & in præsens in sinu Celsitudinis Vestræ deponimus, insimulq; in summo Ejusdem in tuendis Provinciæ juribus zelo, propensissimoq; in hanc Civitatem affectu collocamus fiduciam, Celsitudinem Vestram pro summa sua prudentia judicaturam, quàm facilè per tales procedendi modos consilia difficiliora reddi possint, proindeque non tantùm ab omni sinistræ suspicionis nota facilè nos absoluturam,

 sed

sed & contra omnes, qui hâc ratione jura Reipublicæ convellere, Civitatesq; â Regio Sacræ Regiæ Majestatis, unici nostri in terris Domini, Throno avellere intendunt, gratiosissime defensuram. Cui celebratissimæ Celsitudinis Vestræ benignitati uti omninò confidimus, ita Eandem submissis quoq; veneramur precibus, dignetur pro summo suo in Provinciam & Civitatem amore gratiam gratiæ addere, benignissimumq; Illustrissimi atq; Excellentissimi Supremi Regni Exercituum Ducis eò flectere animum, ut Civitas hæc nunquam malè merita ab omni militaris invasionis metu tuta & secura reddatur. Nos interim per iterata quæ nunc cum Ordinibus Civitatis agimus consilia de eo erimus soliciti, ut & Celsitudinis Vestræ & Illustrissimi Excellentissimiq; Supremi Regni Exercituum Ducis instantias plurimùm apud nos valere comprobemus. Qui, quod superest, Divinum Numen denuò invocamus, ut Celsitudinem Vestram inter continuos durantis perpetim felicitatis progressus non tantùm Terris hisce, sed & toti Regno, per multos annos salvam & superstitem, nos verò constantissimè in gratiâ & affectu Principali Celsitudinis Vestræ conservare velit. Dabant. Gedani d. 24. Martij Anno 1702.

XIII.

Ad Epistol. XXIII. pag. 181.

Idem Magistratui Gedanensi die 18. Aprilis anno 1702.

Responsoria Magistratûs ad præcedentes.

Celsissime Princeps, Illustrissime, Reverendissime, & Excellentiss. Domine, Domine Gratiosissime.

Feralis ille de accerbo Illustrissimi quondam & Excellentissimi Supremi Regni Exercituum Ducis obitu nuntius animos nostros graviùs longè, quàm aures, perculit. Dignissimus quippe visus erat Heros iste, qui post subministratos toties aliis superandi mortem animos ipse de eadem nunquam non triumphum ageret. Verùm inevitabilis hæc perfectæ cujuslibet virtutis infelicitas est, properare ad interitum, quoties crescere ulterius & ascendere altius non licet, unicô relictô solatiô, quòd perennis eorum maneat memoria, quorum immortalis esse debuerat vita. Nos dum amissi

amisſi boni magnitudinem communi totius publicæ Rei jacturâ metimur, tantiq; aliorum planctibus ſinceras proprii doloris voces intermiſcemus, inter præcipuas ſolatii partes reponemus, quoties Illuſtrisſimis tanti ſangvinis hæredibus debitæ Paternis beneficiis obſervantiæ condignos fructus præſtare poterimus. Hinc eſt, quòd moras, quæ invitis nobis non minus quàm innocentibus, in negotio perſonalis ſubſidii hucusq; interceſſere, vincere, inſimulq; exſpectationi Celſitudinis Veſtræ, cujus certiores nos per literas 18. Aprilis ad nos exaratas reddere gratioſisſimè voluit, aſſurgere indefeſſi annitimur. Spes indies affulget vicinior, ſuperaturos nos tandem, quæ obicem injecêre, innumera obſtacula, cùm inſtituenda propediem capitum recenſio inſtet. Fuſius iſta, & quæ abſolvere nos ab omni ſiniſtræ opinionis nota poſſunt, Illuſtrisſimo Domino Caſtellano Elbingenſi & Illuſtri Domino Succamerario Pomeraniæ per Deputatos Noſtros hiſce diebus expoſuimus, indubiâ erecti fiduciâ, juſtisſimas innocentiæ noſtræ rationes & apud Eosdem, & apud quosvis, benevolum locum reperturas, præprimis cùm declaraverimus, quòd nullas aſſignationes à quopiam acceptabimus, quousq; extracitæ in uſum Illuſtrisſimi olim Supremi Exercituum Ducis ab Illuſtrisſimo Domino Palatino Culmenſi Terrarum harum Theſaurario aſſignationes in manibus hæredum beatè defuncti permanebunt, nec pecunias ex perſonali ſubſidio collectas, ad quas tantùm nos obligavimus, cuipiam alteri exſolvemus. Quod ſupereſt Celſitudini Veſtræ perpetua omnis felicitatis incrementa apprecati Ejusdem gratiæ Nos & Civitatem hanc eâ, quâ per eſt, obſervantiâ commendamus. Dabantur Gedani die 12. Maji An. 1702.

XIV.

Ad Epiſtol. XXVII. pag. 207. Magiſtratibus Civitatum Mariæburgi 29. Maji anno 1702.

Reſponſum ad has Literas datum à Magiſtratu Gedanenſi.

Celſisſime Princeps,
Illuſtrisſime, Reverendisſime & Excellentiſſ. Domine,
Domine Gratioſisſime.

PRomovendis publicæ rei commodis conſtantisſimè intenta Celſitudo Veſtra non potuit non de avertendis ejusdem neceſſitatibus provide

vidè esse solicita. Exigit id turbida temporum, quæ incidêre, facies, & dignissima prorsus Principali, quod Celsitudo Vestra occupat, fastigiô cura est, quæ non præsentis saltem, sed imminentis quoque periculi magnitudinem metiri, obfirmatumq; per salubria remedia animum eidem objicere, & ne in perniciem harum præcipuè Terrarum erumpat prævisa tempestas prospicere constituit. Veneramur omninô debitis encomiis singularem hanc Celsitudinis Vestræ pro publico bono solicitudinem indulgentissimumq; Ejusdem affectum ex datis ad Nos 29. Maji literis, quibus ad celebranda Mariaburgi 13. Mensis hujus die Generalia Consilia nos quoq; invitare gratiosissimè dignata est, eâ, quâ par est, observantiâ agnoscimus. Dum verò ambiguam pro rerum præsentium statu animorum dispositionem & gravissimas, quæ prætereà dubium planè consiliorum præfatorum eventum reddere possunt, rationes penitius introspicimus, certior longè ex intermissis quàm instituendis fructus apparere videtur, præprimis cùm Sacra Regia Majestas, Dominus noster clementissimus, quem superstitem & incolumem quàm diutissimè servet Supremum Numen, nullam eorundem necessitatem in iis, quibus commendare nobis nuperrimè securitatis studia clementissimè voluit, literis innuerit. Quid? quòd per continuas eorum, qui Civitati huic minus favent, minas pro interna ejusdem tranquillitate excubias agere coactis ardua magis externa cura reddatur, adeòq; integrum nobis non sit desideriis Celsitudinis Vestræ, eâ, quâ consvevimus, promptitudine assurgere. Proindè benevolum hisce omnibus locum ab Æquanimitate Celsitudinis Vestræ tot nobis tantisq; aliis documentis probata pollicemur, constantissimæq; ejusdem Gratiæ, quam indefessis paratissimorum animorum officiis demereri nunquam non annitemur, Nos & universa Civitatis hujus commoda inter ferventissima nunquam imminuendæ felicitatis vota observantissimè commendamus. Dabant. Gedani die 8. Junij Anno 1702.

XV.

Ad Epistol. XLIV. pag. 300. A. C. Zaluski, Princeps Episcopus Varmiensis ad Magistratum Gedanensem Thorunio 16. Novembr.

Quo-

Quoniam Epiſtola hæc reſponſum continet à Celſiſſimo Principe ad Literas Magiſtratus die 3 Novembris dictó annó Celſitudini Suæ transmiſſas, ad meliorem ejus intellectum proderit dictas Literas hic inſeruiſſe:

Celſiſſime Princeps,

Illuſtriſſime, Reverendiſſime & Excellentiſſ. Domine, Domine Gratioſiſſime.

Quàm illibatâ fide nec degenere à Majorum exemplis ſubjectionis obſequiiq; cultu Sereniſſimos Poloniæ Reges venerari Civitas hac de Inclyta Republica nunquam malè aut merita aut meritura perpetim allaboraverit, ſangvinis, bonorum, vitæq; jacturâ teſtatum plus ſimplici vice dedit. Eódem prorsùs nec per temporum adverſa unquam immutatô tramite pergere ſollicita ſtuduit, quoties Sacræ Regiæ Majeſtati feliciter nunc regnanti, & ſi effectum ſuſpiriis noſtris largiri Divina Bonitas dignabitur, diutiſſimè regnaturæ, fidem, devotionem, ſubjectionemq; ſuam probare licuit. Hinc eſt quod de Paterno Principis Optimi affectu altè ſecura nihil quod benè partorum Jurium, libertatisq; vitâ carioris integritatem, quam in hunc uſq; diem conſervatam poſt DEum Regiæ clementiæ acceptam fert, attenuare aut evertere auderet, metuere potuit, imò nec debuit. Accidit tamen, quod accidiſſe poſt excuſſum Crucigerorum jugum nobiscum aliquando ſtupedit poſteritas, ut Copiæ aliquot Saxonicæ, quæ juſſa auſpiciaq; Sacræ Regiæ Majeſtatis, Domini Noſtri Clementiſſimi, jactitare quidem, ſed producere aut probare nunquam ſuſtinuerunt, non solùm in bonis Civitatis hujus patrimonialibus ab omnimodo hoſpitationum militarium onere, quamdiu ſuus juribus tenor ſtetit, immunibus protervè moliri, ſed poſthabitâ, quam Civitas hæc ſua in Regem & Dominum ſuum Clementiſſimum humillimæ promptitudini neceſſitatiq; cedens de porrigendo ſufficienti victu dederat fide, graviſſimis, & quibus pares excogitare ne profeſſus quidem hoſtis auderet, exactionibus incolas prædictorum bonorum in perniciem dare, & Clementiſſimam voluntatem Regiam per Secretarium Noſtrum in Aula reſidentem

dentem nobis significatam supinè despicientes, propiora munimentis tormentisq; nostris bellicis loca inauditâ apud omnes Gentes licentiâ occupare, minasq; minis cumulare in animum induxerint. Nec stetit intra verba nudumq; propositum nefaria temeritas: sed quantumvis ut Regio beneplacito toties totiesq; ipsis ob oculos posito morem gerentes, rationi, æquitati, juribus, & declaratæ liberalitati Civitatis locum darent, iteratis vicibus admoniti essent, armis tamen manum admovere, in præsidiarios nostros, quibus sitæ in proximo Civitatis confinio villæ, quam Obram dicunt, conservationem concredere clementissimâ Sacræ Regiæ Majestatis haud ita pridem nobis insinuatâ admonitione suffultus & innatus tuendæ securitatis amor jusserat, hostili prorsus ausu primi ruere, aliquot eorum explosis bombardis strictisq; ensibus occidere non sunt veriti. Dolet equidem, nec immeritò, universa hæc Civitas, quòd sangvinem, quem stabiliendis magis magisq; Suæ in Regem Dominumq; suum clementissimum fidei documentis sincerè devovit, prodigere coacta libertatem juraq; sua aliter quàm cum cæde nonnullorum, qui dum hostes semet apertè adeò declararunt, titulum militum Sacræ Regiæ Majestatis; Principis justissimi, gerere diutiùs non merebantur, tueri non potuerit. Spem nihilominus indubiam in æquissima causæ suæ conscientiaq; rationibus collocat, quòd quicquid in contrarium subrepere solitus malevolorum livor fingere vel affingere conabitur, irritum redditura sit Regia Æquanimitas, præsertim si Celsitudo Vestra innocentiæ Deo, perpetuo ejusdem vindici, optimè perspectæ defensionem gratiosissimè suscipere non sit gravatura. Proindè à Celsitudine Vestrâ omni, quô decet, cultu & observantiâ contendimus, dignetur subjectissimas preces, quas ad Thronum Sacr. Reg. Majestatis per iteratas humillimas literas deferre debito suo congruum duxerunt Civitatis hujus Ordines, plurimùm valitura Intercessionis suæ ope gratiosissimè suffulcire, eoq; rem apud Sacram Majestatem dirigere, ut ab iniquissimis militiis, qui Saxonicum se jactitat, oppressionibus in universum omnibus quantocyus liberati, & ab omni sinistra suspitionis uti culpâ ita malo absoluti, Juribus nostris libertateq; illæsis constantissimè frui, & pro vitâ, salute, & quæcunq; explere fidelissimorum subditorum vota potest, felicitate Sacr. Reg. Majestatis, Domini Nostri Clementissimi, tranquillas & citrà ulteriorem aut metuendi aut dolendi causam sinceras preces fundere valea-

valeamus. Quod uti in Jurium Civitatis hujus ipsiusq; æquitatis ulteriorum indemnitatem verget, ita gloria Celsitudinis Vestræ novum decus addet, nosq; exhibitum Civitati huic, quàm Celsitudini Vestræ iterum iterumq; commendamus, insigne istud beneficium æternis laudibus prosequi, promptissimisq; studiis & officiis nostris ulteriorem Ejusdem Gratiam in nos derivare indefessi allaborabimus, Celsitudini Vestræ, quod superest, perpetua solida felicitatis incrementa & pares votorum summæ successus apprecati. Dabantur Gedani die 3. Novembr. Ao. 1702.

Repetitæ fuerunt præmemoratæ querelæ secundariis Magistratus Gedanensis literis ejus, qui sequitur, tenoris.

Celsissime Princeps, Illustrissime, Reverendissime, & Excellentiss. Domine, Domine Gratiosissime.

Duplex innocentia quærere consuevit præsidium, alterum in rectâ conscientiâ, alterum in validissimo bonorum omnium patrocinio. Illam circà violentam, quam in confinio Civitatis nuper tentaverat miles Saxonicus, invasionem, salvam & illæsam nos servasse fama vel nobis tacentibus loquitur; hoc à singulari Celsitudinis Vestræ gratia sperare innumera propensissimi affectûs documenta Civitati huic olim exhibita jusserunt. Adimplevit spem gloriosum quod cum reliquis Illustrissimis Prussiæ Proceribus inire placuit consilium, cujus fructus tantò certiores & nobis polliciti sumus, postquam per illud, quod ex Cancellariâ bellica emanaverat, Mandatum Copiis Sacr. Reg. Majestatis Domini Nostri Clementissimi Saxonicis in universa Prussia degentibus, ut exactionibus omnibus sub portionum vel aliô quocunq; titulo venientibus abstinerent, necessariisq; alimentis contenti viverent, injunctum fuisset. Ast idem, quod Jura Terrarum Prussiæ & hujus Civitatis, declarata Sacr. Reg. Majestatis voluntas sensit vilipendium, dum non attentô, quod per Ministerialem Regni duosq; Nobiles insinuari feceramus, præfatô mandato Regio nonnulli qui copiis hisce præsunt, portiones, quas primô mense vi, injuriâ, durissimisq; & ab aperto hoste vix perpetrandis extorserant modis, in alterum quoq; mensem sub severissima, uti consueverunt, executionis comminatione, Generosus verò Colonellus Reibnitz,

qui cum copiis suis montana Civitatis occupat, incolis eorundem, ut intrà tridui terminum crastinâ die exspirantem, portiones, quas in pagis Schottland & Stoltzenberg sibi assignatas esse prætendit, cùm consistentiam militis Saxonici in hisce locis contrà perpetuam & ubivis observatam Fortalitiorum Legem admittere non potuerimus, exsolvant, indicere præsumpserunt. Ut taceamus injustissimam circà quietationes methodum, quâ colonos minis, imò & verberibus, ut in scriptis, ac si Copia illa præter assignatas portiones nihil extorserint, pro alimentis debitè satisfecerint, de cætero verò sese decenter gesserint attestentur constringunt. Quæ omnia cùm partim benignissimo illi Sacræ Regiæ Majestatis nupero mandato per indefessam Celsitudinis Vestræ in solatium totius Provinciæ & hujus Civitatis sollicitudinem obtento è diametro contrarientur, partim bonis Civitatis patrimonialibus, ex quibus sæpè fatus miles non computatis alimentis aliisq;, quas vi aut clam abstulit, rebus ingentem & incredibilem multorum millium florenorum summam unô mense recepit, ultimum exitium minitentur, non potuimus, quin mala hæc, quibus Civitas in incolis suis premitur & ferè opprimitur, Celsitudini Vestræ denuò exponeremus. Jura hujus Civitatis, ejusq; individuam Comitem, Universorum salutem, quàm cordi & curæ Celsitudo Vestra semper habuerit, quamq; gloriosissimo zelo eandem contrà omnes, qui in præceps ituros moliuntur ausus, defenderit, vel nuperum, ut alia, quæ gratissimis servamus pectoribus, venerabundo nunc involvamus silentiô, gratissimi affectûs argumenta, quod Thorunij habitum fuit, Consilium loquitur. Quô nomine uti Celsitudini Vestræ summas, quas mente concipere licet, agimus gratias, ita observantissimè rogamus, ut nunc quoq; apud Sacram Regiam Majestatem, & ubicunq; occasio tulerit, pari gratia propensione rebus nostris afflictis consulere, Mandataq; severissima tum contrà ulteriorem portionum exactionem, tùm contrà Generosi Colonelli Reibnitz intentionem, ne illi mediis de jure naturæ licitis obviam ire vel inviti adigamur, tùm etiam, ut à consistentia militis Saxonici plurima ex parte funesto morbo laborantis colonosq; bonorum Civitatis inficientis quantocius liberemur, gratiosissimè promovere dignetur. Quod uti à Celsitudinis Vestræ gratiosissimo in Nos Civitatemq; hanc affectu nobis promittimus: ita vicissim tantæ Gratiæ memoriam perpetuò culturi Eandem omni officiorum studiorumq;

ala-

alacritate demereri non intermittemus. De cætero Divinum Numen invocantes, ut quicquid felicitatis est, Celsitudini Vestræ, cujus constanti Gratiæ Nos & Civitatem hanc iterum iterumq; commendamus, clementissimè largiri velit. Dat. Gedani die 28. Novembr. Anno 1702.

XVI.

Ad Epistol. LIX. pag. 431. Idem Celsissimus Princeps Civitati Gedanensi d. 9. Martii anno 1703.

Cùm & hæc Epistola ad Magistratûs Literas die 2. Martii dicti Anni 1703. ad Celsissimum Principem expeditas Responsoria sit, non inconveniens erit illarum hóc locó annectere tenorem.

Celsissime Princeps,

Illustrissime, Reverendissime & Excellentiss. Domine; Domine Gratiosissime.

Cum inter iniquissimas Saxonici militis oppressiones & sollicitam tutandæ libertatis curam medii omnibus, quæ injuriæ atrocitas & irritatus ad desperationem ferè dolor suppeditare poterat, consiliis rejectis, servatorum jurium nostrorum Gloriam soli Regis ac Domini Nostri unici Clementiæ acceptam ferre decrevissemus, Literas verò, quibus istam à Sacra Regia Majestate humillimè exorare aliquoties nobiscum conati erant reliqui Civitatis hujus Ordines, averso vultu & animo Regio destituti accepissemus, gravior equidem tantopere jam afflictis calamitas indè accedebat, quòd malevolorum, quorum artibus id unicè tribuendum duximus, ausus eò temeritatis processissent, ut acerbam eorum temporum, quibus sub Crucigerorum jugo adhuc gemens Civitas hæc similem isti scenam quondam viderat, recordationem refricare non essent veriti. Posteaquàm verò easdem literas à Sacra Regia Majestate tandem, licet post temporis non exigui dispendium, clementissimè receptas inaudivissemus, indubiâ mutandi in melius fati spe erigi, & post probatam Sacræ Regiæ Majestati fidei nostræ & subjectionis inter tot adversa constantiam, de Paterna Ejusdem cle-

clementia securi, concussis Civitatis hujus rebus quid non promittere cœpimus? Sed quàm incerti prorsus boni nomen spes est! Dum enim concepto isthoc gaudio uberiùs frui, & statim post felicem Sacræ Regiæ Majestatis in Civitatem Mariaeburgensem adventum Eidem devotissimorum obsequiorum nostrorum perpetuitatem per Ablegatum nostrum testari allaboramus, hic significatâ Principis offensâ non aliter, quàm per Deprecationem, placandâ à destinato humillimæ salutationis cultu exclusus reverti, nostraq; infelicitatis magnitudinem impletis ex voto tot aliorum desideriis metiri cogitur. Quàm graviter ad inopinatum hunc nuntium vulnus, quod ægrè cicatricem admittere cœperat, recruduerit, stupor meliùs quàm calamus exprimit. Tantum enim absuit, ut indignationem Optimi Principis præsumere ausi unquam fuerimus, ut potiùs, excussis quàm diligentissime singulis actionum nostrarum momentis, nihil quod vel umbram erroris, nedum criminis, referret, Deumve & conscientiam testem vindicemq; reperire potuerimus. Exstant sanè fidei nostræ perpetuò intemeratæ tot monumenta, quot violatorum ab extraneo milite Cardinalium Civitatis jurium & damnorum ab eodem illatorum innumera documenta, venturaq; ætas, quoties miserandam eorum, quæ nihil mali meritis accidêre, seriem repetet, patientiam magis nostram, quàm debitæ devotionis neglectum, incusabit. Quemadmodum verò hanc, ringente licet invidia, illibatam conservare in hunc usq; diem studuimus, nihilq;, quod pœnitentia dignum videri possit, in animum induximus, nec inducemus: Ita ignominiosis præsentis æquè ac futuris ætatis censuris & metuendis olim indubiis præjudiciis Civitatem hanc per deprecationem exponere eò justiùs ambigimus, quò certior indè pravii criminis vel solâ reputatione horrendi suspicio in Eandem derivaretur, nosq; potiori ratione, ut, qui ferro & igne in innocentes grassari non erubuerunt, dignas tanti criminis pœnas luant Sacr. Reg. Majestati supplicare sustinemus. Redit itaq; ad pristinæ fiduciæ solatia Civitas hæc, nec dubitat, quin viam munitura Celsitudinis Vestræ Gratiâ post oblitteratam planè desideratæ deprecationis mentionem in conspectum Regium per Deputatos admissa fidei suæ & venerationis, quam incolumem tueri nunquam desinet, præmium, æquissimam scilicet damnorum sibi & bonis suis illatorum reparationem, sit reportatura. Erit hoc novum Summæ, quam apud Sacram Regiam Majestatem ex mu-

neris

neris & meritorum gravitate sustinet Celsitudo Vestra, Auctoritatis documentum, quando restituta Sua integritati veritas non efformidare ulteriùs impotentes obtrectantium insultus necessum habebit. Civitas verò hac tanto defensore secura officio suo graviter defungi, & omnem, quâ officiorum suorum promptitudinem testari atque hanc quam denuò eô, quô par est, cultu imploramus, & ulteriorem Celsitudinis Vestræ Gratiam demereri poterit, occasionem amplecti perget. Quod superest Celsitudini Vestræ Jurium commodorumq; nostrorum incolumitatem iterum iterumq; observantissimè commendantes Eidem prosperrimos votorum quorumvis successus, nec nisi per majoris sortis accessionem interrumpendos vovemus. Dabantur Gedani, die 2. Martij Anno 1703.

XVII.

Ad Epistol. LXIV. p. 485. Copia Literarum ad Majores Prussiæ Civitates. Mariæburgi 6. Maji 1703.

QUoniam Literæ hæ communi utriusque, Supremi & Vice-Cancellarii Regni nomine expeditæ fuerunt, utrique etiam â Magistratu Gedanensi responsum hunc, qui sequitur, in modum:

Celsissime Princeps,

Illustrissimi, Reverendissime & Excellentis. Domini, Domini Gratiosissimi.

CUm temporum præsentium miseranda hæc sit facies, ut non ingravescere modò dissita longius pericula, sed hujus quoq; Provinciæ finibus propiùs jam admoveri prævisam hucusq; ex remotiori specula tempestatem appareat, dignissima prorsus sempiternis laudibus solicitudo est, quâ Celsitudo & Illustrissima Excellentia Vestra inter alios triste fatum avertere, aut superare, vel modum eidem maturè ponere satagunt. Hujus saluberrimi destinati nos quoq; certiores reddere, & ad sustinendas pro communi salute vigiles excubias adhortari voluisse Celsitudinem & Illustrissimam Excellentiam Vestram exaratæ ad Nos die 6. mensis præsentis gratiosissimæ Literæ docuerunt. Obversatur perpetuò animis & consiliis quibuscunq; nostris fides & constantia Majorum nullis temporum adversis loco mota. Istam uti cum fortunarum nostrarum

ingenti dispendio aliquoties, & nuperrimè admodùm, probatam dedimus: ita, utcunq; tandem Divina Supremi rerum Arbitri voluntas tulerit, illibatam porrò, quantum vires sinent, tueri, posterisq; dignum quod imitentur exemplum relinquere allaborabimus. Hôc pactô Muneris nostri debito satisfacientes & fiducia, quam Celsitudo & Illustrissima Excellentia Vestra de nobis gratiosissimè conceperunt, mensuram adimplere, & ulteriori in Civitatis hujus commoda benignissima propensione dignos magis magisq; nos reddere speramus; Quod superest Celsitudini & Illustrissimæ Excellentiæ Vestræ perennia felicitatis nunquam interrumpenda incrementa apprecati. Dab. Gedani die 11. Maij anno 1703.

XVIII.

Ad Epistol. LXVI. pag. 498. verb. Die 11. fuerunt Ablegati Gedanenses cum deprecatione Regis; quid illis responderim accipe.

POstquam coram Sacra Regia Majestate, Domino Clementissimo, Elbingæ tunc præsente Ablegati Gedanenses Magistratûs & universorum Ordinum nomine innocentiam Civitatis circa insperatum, qui ad pagum Ohra acciderat, casum submissô sermone die 11. Mensis Maji Anno 1703. testati fuissent, Sacræ Regiæ Majestatis nomine per Celsissimum Principem & Cancellarium sequens prolatum fuit Responsum:

REGES clementiâ, Subditos fidelitas decet & ornat. Nihil „ gloriosius Principe impunè læso, nihil laudibilius subdito constan„ ter fideli. Nullum gratius dulciusque reciproci affectûs certamen, „ quàm inter Regem, qui Patris non Domini ritu suos regit, & sub„ jectum populum, qui personam Dei magis quàm fortunam amat. „ In quacunque hora quodcunque demum quanquam diu deliberatæ „ compositæque submissionis genus præstitum venit, paternâ aure, „ paternô affectu & animô, recipere dignatur & semper solet Sacra „ Regia Majestas, nullum sibi in præterita jus, præterquam obli„ vionis, relinquendo. Præclara Gedanensis Civitas Vestra, non „ tantùm Regni sui, sed & totius Christianæ Europæ, ornamentum, „ Balthici maris munimentum, dum obsequium in Regem, reveren„ tiam in Majestatem, decus suum & fidem, ut præteritis bellis cum in-

ingenti & totum diffusa per Orbem gloria fecit, retinebit, dum "
consultam & ingenitam fidelitatem cum aliis, imò præ aliis, more "
suò præstabit, tunc Majestas sua in affectu paterno & particulari "
in eam propensione nunquam se vinci vel superari patietur. Invicta "
Majestatis suæ dextera ejus quod assero non tantùm certam, sed & "
securam, Civitatem Gedanensem reddit, ad cujus osculum eandem "
in personis vestris clementissimè æquè ac libentissimè admittere "
dignatur. "

XIX.

Ad annexas Epistolæ LXXXIII. pag. 604. seq. Literas Illustrissimi, Reverendissimi & Excellentissimi Domini Stanislai Szembek, Episcopi Cujaviensis, ad Magistratum Gedanensem. d. 20. Julii 1704.

Quale Magistratus Gedanensis ad prædictas Literas dederit Responsum, sequens ejus docebit tenor:

Illustrissime, Reverendissime, & Excellentiss. Domine, Domine Gratiosissime.

Cum expeditis ad Illustrissimam & Reverendissimam Excellentiam Vestram eâ, quâ par fuerat, observantiæ contestatione die 14. Decembr. Anni præteriti 1703. literis rationes & momenta, quibus post perpessas hactenus indiesque auctas ab Incolis villarum Episcopalium Civitati huic adjacentium injurias non privatorum modò commodis, sed publicæ quoq; rei succurrere tandem & causa justitiæ & extremæ necessitatis constrinxerat Imperium, fusiùs exposuimus, nihil minus nobis metuendum esse celebratissima Illustrissima & Reverendissima Excellentia Vestra Æquanimitas & perpetuum in omne rectum & justum studium omninò persvaserat, quàm ut Benignissimi Præsulis irritatum contra nos animum gravioremq; præter meritum experiremur indignationem. Ast factum id esse taliq; modô, qui retroactis temporibus ab ipsis suscepti feliciter ab Illustrissima & Reverendissima Excellentia Vestra Episcopatus Cujaviensis initiis Civitati huic inauditus & incognitus fuit, ex Literis Illustrissim. & Reverendissim. Excellen-

tia

tia Vestr. in Claro monte Częstochoviensi die 22. Julij Anni ad præsens currentis ad nos datis & 5. Septembris redditis non sine dolore percepimus. In hac igitur animorum consternatione cùm Illustrissimam & Reverendissimam Excellentiam Vestram longè aliter, quàm res flagitabat, de nobis informatam esse ipse tenor memoratarum literarum doceat, non necessarium minùs quàm consultum esse duximus gratiosissimum præsentibus Illustrissim. & Reverendissim. Excellent. Vestræ demulcire animum, publicèq; testari, non occurrere nobis, quibus vel verbis vel factis citra præjudicium acceptis tot tantisq; suspicionibus earum rerum, à quibus ipsâ sanè cogitatione longissimè semper abfuimus, obnoxij simus redditi. Non imus inficias, quòd tùm Reverendissimus Dominus Officialis Gedanensis & Per-Illustrissimus Dominus Canonicus Grasinski causam incolarum vicorum Schottland, Stoltzenberg, & Montis Episcopalis sedulò egerint, tum nonnulli ex Illustrissimis, Reverendissimis & Excellentissimis Proceribus Regni, ipsum quoq; Venerabile Capitulum Vladislaviense, ipsorum nomine suas interposuerint requisitiones. Neq; è memoria excidit, insinuatas Annô præteritô nobis fuisse Rescripti Regii literas in favorem prædictorum colonorum emanatas. Attamen & illud suâ constat certitudine, nos consvetô in his talibus humillimæ informationis beneficiô, cui Sacra Regia Majestas Sua clementissimè acquievit, usos, cæteris verò universis & singulis tum per literas, tum oretenus eâ, quâ oportuit, dexteritate partim illata non Civitati saltem Civibusq; nostris, sed & toti Provinciæ, contra disertam manifestissimorum jurium obloquentiam à præfatis incolis memoratorum vicorum innumera præjudicia, gravissimaq; & intolerabilia damna, partim extremam illam, quæ Civitatem hanc ejusque incolas durissimè afflixit, necessitatem tàm clarè ante oculos positam & admonstratam fuisse, ut credibile visum non sit, velle aut posse quempiam de innocentia ac justitia à nobis susceptorum porrò dubitare. Etenim si verum est, prout antiquissimis jurium publicorum ordinationibus disertè cautum esse singulis constat, non licere in villis & pagis ad propinandum, divendendum, & distribuendum braxare cerevisiam, opificia omnis generis exercere, mercaturam forumq; rerum venalium instituere, quis extra partium studia positus negaverit, incolas villarum Schottland, Stoltzenberg, & Montis Episcopalis juribus hisce pertinaciter contravenisse, dum longô temporum spatiô illicitum hoc braxatura,

opi-

opificiorum & mercaturæ exercitium ausi sunt usurpare? Quodsi iisdem juribus annuentibus præfata braxaturam ad promiscuum propinationis & distributionis usum opificia pariter & mercaturam exercendi facultas Civitatum esse debet propria, si quoq; Civitas hæc Gedanensis indisputabili hôcce gaudet jure, ut intra quinq; milliaria nullam urbem ac civitatem ferre cogatur, quis sanè aliena facta ingenuô & rectô examine dijudicans in sequiorum partem poterit interpretari, quòd Ordines Civitatis hujus, postquam perpetuis contradictionibus suis toties in vanum reiteratis nullum penitus dari locum, sed præsumptuosam nominatorum colonorum in convellendis juribus & usurpandis alienis audaciam indies morâ valescere animadverterunt, de facto agentibus resistere, juraq; sua tandem vindicare eorumq; asserere auctoritatem voluerint? Ceterùm si secundùm jura hæc cardinalia Civitati competiit facultas præter usurpatam mercaturam omne braxaturæ & quorumvis opificiorum exercitium incolis sæpè memoratarum villarum in totum denegandi & auferendi, mediisq; obtinendo fini huic adæquatis, sive illa in ademptione aquæ sive aliis in rebus posita fuerint, securè utendi, quis in controversiam vel minimo juris alicujus sub prætextu vocaverit, licuisse Ordinibus pro conniventia ista, quâ Civitas tantisper, salvô jure suô, & donec cum Illustrissima & Reverendissima Excellentia Vestra de totali omissione convenerit, dictis incolis cocturam cerevisiæ & panis permittit, accisas saltem, quas Cives cerevisiam & panes in civitate coquentes solvere solent, pro ista juris sui remissione ad tempus facta à præfatis incolis exigere? cùm cui majus de jure competit illi minus non possit nec debeat denegari. Quòd verò hisce demum temporibus Ordines Civitatis hujus ad realem jurium sibi competentium executionem processerunt, ejus instituti quemadmodum in anterioribus Literis nostris, ad quas brevitatis causâ nos referimus, prægnantes & sufficientissimas exposuimus rationes, ita universos, quicunq; in his Terris & cum Civitate hac sibi soli relicta actorum gestorumq; exactiorem habent notitiam, suô comprobaturos fore testimoniô non est de quo dubitemus, non potuisse in extremis illis, quæ circumsteterunt, necessitatibus, exhaustô adhuc penitus ærariô publicô, civiumq; & incolarum facultatibus per continua extraordinariarum contributionum onera graviter attritis, vel quietem inter cives, contrà effrenatam & ultrà summum jam deductam villanorum media vivendi

& contribuendi ipsis praripientium licentiam frementes, retineri, vel civitatis securitatem communemq; per hanc salutem conservari, nisi positô ad minimum nocivis braxatoribus & pistoribus repagulô, tractuq; iis ad onera sublevanda publica rei necessaria, quos, dum protectione Civitatis commodisq; Civium fruebantur, communibus succurrere necessitatibus pariaq; ferre onera naturalis obligare debebat aquitas. Neq; vel non impetrati in antecessum ab Illustrissima & Reverendissima Excellentia Vestra consensus, vel advocatorum in prajudicium, ut fertur, vicorum Episcopalium Regum, argui meritô nostrô possumus, eô attentiùs consideratô, quòd quemadmodum ad juris publici & non controversi executionem summâ praprimis urgente necessitate expediendam nullus videbatur requiri consensus, eundem quoq; re adhuc integrâ expetendi & impetrandi, Illustrissimâ & Reverendissimâ Excellentiâ Vestra extra oras Regni ignotis tunc nobis in partibus absente, non supererat facultas, adhac inter omnes convenit, nulli sanè instituto humano tantam vim esse posse, ut si alter officium facere negligat (prout villarum sapè dictarum incola hactenus neglexerunt) alteri prajudicium & damnum patienti pereundum sit potiùs, quàm ab usitato & regulari agendi modo discedendum, ita, si aliquandò Regum hoc in negotio imploratum esset auxilium, id deducendi & asserendi optimi juris causâ eôq; modô & fine factum, quibus toties ultraq; seculi decursum apud Reges & Rempublicam in publicis etiam Terrarum Prussia Conventibus & Comitiis Regni Generalibus idem actum esse publicorum documentorum testatur fides, videlicet, ut Regibus & Republicâ suffragantibus prafata villa, quò malis & prajudiciis motisq; eapropter continuis querelis tandem imponeretur finis, vel Civitati huic approprientur, Dominis Possessoribus verò earundem consentientibus aquivalens aliquod à Republica pro iisdem alibi conferatur, vel arrenda aut emphyteuseos titulo ad certum annorum spatium pro justo ac reditibus ordinariis Dominorum Possessorum adaquato Canone Civitati relinquantur, salvô & integrô per omnia Religionis Romano-Catholica, qui prafatis in locis viguit, usu ac exercitiô. Quod antiquum & aquissimum desiderium tantùm abest ut justâ aliquâ notari queat reprehensione, quin potiùs communem omnium mereatur calculum, quicunq; norunt, quòd etiam ex ipsa humanitatis lege ac naturali obligatione, quâ homo homini subvenire tenetur, meritò nobis ea prastari flagi-

flagitemus, quæ accipientibus sunt utilia, dantibus non damnosa. Neq; etiam universo hoc in negotio alium unquam servavimus procedendi modum, quàm quô Illustrissimæ & Reverendissimæ Excellentiæ Vestræ ac Venerabilis Capituli Vladislaviensis proprietas, jurisdictio, cunctiq; proventus memoratis in villis salva per omnia & integra conservata manserunt, utpote quibus vel in minima parte derogare aut inferre præjudicium ne in mentem quidem venisse nobis unquam sanctè possumus affirmare, quippe cùm involare aliena aut piscari in turbido non minus à nostris, quàm antiquis Majorum nostrorum, moribus longè alienum sit. Ex quibus certissima animis nostris assurgit fiducia, & præsentem ætatem, & justam rectè factorum æstimatricem Posteritatem, de actionum nostrarum serie ingenuè informatam ab omnibus acriori stylô enarratis imputationibus æquissimo nos judicio absoluturam, illudq; optimæ veritatis & justitiæ prolaturam arbitrium, nos illatæ Illustrissimæ & Reverendissimæ Excellentiæ Vestræ ac Venerabili Capitulo suo injuriæ, præsumtæ præter omne fas & æqvum extorsionis, juris alieni usurpationis, arrogatæ potentiæ & authorisationis ad opprimendam gentem indebitæ, immanium in præjudicium jurium Ecclesiæ, Episcopi, & Capituli attentatorum, Vatiniani odii, oppressionis injustæ, & quæ hujus commatis plura sunt, nunquam factos esse reos, quin potiùs id unicum egisse hactenus, quod Jura & Privilegia Majorum Nostrorum sangvine & virtute parta desiderârunt, Securitas & Salus publica juxtà indeclinabilem necessitatem efflagitârunt, servandæ tandem Civitatis hujus, quam sub DEI Omnipotentis protectione providaq; Ordinum curâ, omnibus licet aliorum auxiliis destitutam, Regi, Reipublicæ ac Provinciæ huic servatam tamen hactenus esse omnem exsuperat Gloriam, sollicita studia omninò exegerunt. Quæ rationes cùm actionum nostrarum bonitatem & justitiam tum manifestis juribus, tùm necessitate, tùm intentione agentium metiendam, clarè evincant, easdemq; adhuc obstare nobis, quin imò graviores subindè sollicitudines accedere, manifestum sit, quò minùs reductô nondum pacatô Reipublicæ statu temporum præsentium & futurorum difficultates & incommoda experiri denuò habeamus necessum, de celebratissima Illustrissimæ & Reverendissimæ Excellentiæ Vestræ Gratiâ omninò confidimus, Illustrissimam & Reverendissimam Excellentiam Vestram benignioris nunc judicii censurâ causæ & excusationis

nostræ æquitatem admissuram esse, nec ulli vitio daturam, quòd juribus & immunitatibus antiquissimis à Majoribus legitimè ad posteros propagatis firmissimè inhærentes, ac Saluti Civitatis publicæ honestè consulentes, unà cum venerationis perpetuæ professione libertatis quoq; & Privilegiorum sanctitatem ac jurisjurandi à nobis præstiti religionem, innumeris provocati vicibus, tandem asseruimus, periq; tueri inposterum constantiâ incessanter annitemur. Intereà quod hactenus semper testati sumus id ad præsens quoq; profiteri non intermittimus, paratos nos esse ad ineundos justos amicabilis compositionis modos, nec desiderari aliquid in nobis passuros quod subortis præter spem & opinionem nostram difficultatibus æquis quantocyus mediis removendis inservire ullâ ratione poterit. Atq; sicuti ex innata & pluries, quod gratissimis pectoribus venerabundi agnoscimus, declarata Illustrissimæ & Reverendissimæ Excellentiæ Vestræ Benignitate non nisi moderata consilia & placidum Optimi Præsulis patrocinium exspectari debere summa æquitatis evincit ratio: ita Illustrissimam & Reverendissimam Excellentiam Vestram iterum atq; iterum perobservanter & quàm diligentissimè rogamus, dignetur remotâ omni acerbitate & indignatione Gratiosissimam suam porrò nobis & Civitati huic universæ benignissimè testari propensionem, nec admittere, ut vel clandestinis malevolorum delationibus, aut aliàs malè fundatis suspicionibus constans nostra veneratio vocetur in dubium ac præter meritum aggravetur, vel etiam Juribus tàm communibus, quàm nostris particularibus, quorum renunciationem invitis imperari liberæ, ad quam voluntariè & spontaneè accessimus, Reipublicæ observantia non sinit, ulteriora inferantur præjudicia. Quodsi præter spem nostram (quod DEUS avertat) secus evenerit, duriusq; nobiscum agi senserimus, nulla nobis culpa, DEO & conscientiâ testibus, imputari poterit, si Jura nostra, Privilegia & Libertates tot Serenissimorum Regum Juramentis & Diplomatibus confirmata, omni eô quod in vita charum est in auxilium adhibitô, defendere & illæsa ad posteros conservare, eventumq; omnem Divinæ Potentiæ, quam justæ causæ tandem esse propitiam piè credimus & certissimè novimus, committere necessariò incumbet. Factura est Illustrissima & Reverendissima Excellentia Vestra rem sublimi suo Senatorio & Pastorali muneri adæquatissimam, spectata pariter in nos Gratia maximè congruam; Nos verò hanc Illustrissimæ & Reverendissimæ Ex-

Excellentia Vestra sociatam cum Justitia benignissimam propensionem non gratâ modò recordatione, sed & indefessâ inserviendi promptitudine, atq; perpetuâ Nominis sui observantiâ sedulò demereri non intermittemus, ea providis studiis in communem Universæ Reipublicæ utilitatem cum salute & tranquillitate Civitatis hujus conjunctam porrò acturi, quæ rerum sollicitos, dubiis & secundis rectos, Reipublicæ unitos & liberos cives, ac inculpatæ in omni officio rectitudinis semper compertos decent. Quod superest nullum pro Illustrissima & Reverendissima Excellentia Vestra officium Pietatis intermittemus, DEumq; devotis precabimur suspiriis, ut Illustrissimam & Reverendissimam Excellentiam Vestram inconcussæ valetudinis omnigenarumq; felicitatum perpetuis incrementis seros in annos florentissimam reddat, restitutâq; tandem alma & sinceræ Pacis fiduciâ Inclytum Poloniæ Regnum & Civitatem hanc afflictissimam benignè respiciat, ac tot oppressorum hominum ac civium in tempore misereatur. Dabantur Gedani die 9. Septembr. Anno 1704.

Ceterùm quoniam præcedentibus in Literis mentio fit ad Sacram Regiam Majestatem expeditæ humillimæ Informationis, eandem hic majoris elucidationis gratiâ annectere operæ erit pretium.

Serenissime & Potentissime REX ac Domine, Domine Clementissime;

Constat in publicum ex repetitis toties querelis, datisque communi placito ac volumini Legum publicarum insertis assecurationibus, quantis Civitas Gedanensis, Regibus suis devotissimæ subjectionis, Reipublicæ Polonæ arctissimæ unionis fide semper laudata, à multis retrò temporibus in hanc usque diem contracti, & in rem ac emolumentum Inclyti Regni erogati, nec hactenus contrà spem & repetitas plurimis vicibus Comitiali authoritate pollicitationes restituti æris alieni prematur oneribus. Neque in dubium à quopiam vocari possunt gravissimæ necessitates, in quas ab annis non ita multis, ingravescente temporum & hominum injuriâ, dùm singula in pejus ruere, & vix non desperatam rerum omnium confusionem, interitum tandem & eversionem omnimodam, nisi Divina Potentia obstiterit, parituram, non imminere sed adesse

 cuncti

„ cuncti experiuntur, præter omne meritum suum se conjunctam te-
„ nerrimè dolet & ingemiscit, viribus videlicet ærarii publici adeò
„ attritis, ut conservandæ in Statu suo ad communem Orbis Poloni
„ utilitatem & salutem publicæ rei ægrè suppetant media. Quæ sanè
„ causa fuit, cur Ordines Civitatis animum induxerint, cessantibus
„ Ordinariis ex bonis Civitatis patrimonialibus per Stativa & extorsio-
„ nes Militis Saxonici absumptis proventibus, ac omni ferè terrâ ma-
„ rique turbidis hisce & miserrimis temporibus commerciorum flore
„ resecatô, ne fides & securitas publica periclitaretur, eos inire mo-
„ dos, quibus extraordinariorum onerum Civibus & Incolis imposi-
„ torum beneficiô crescentibus indies necessitatibus aliquale afferre
„ liceret levamentum. Cùm verò facilè constaret introductis diver-
„ sarum contributionum collectarumque generibus parum posse pro-
„ fici, si Incolis locorum Civitatem adjacentium, jurisdictioni autem
„ illius exemptorum, usurpata hactenus negotiationes & opificia pro-
„ miscuè exercendi, in specie braxandi, propinandi, & panes pin-
„ sendi ac distrahendi relinqueretur licentia, prræreptis videlicet hac
„ ratione braxatoribus & pistoribus Civitatis, ad solvendas accisas ob-
„ ligatis, vitæ sustentandæ mediis, eôque ipsô præcisis, quæ ex præ-
„ fatis accisis publico ærario accrescere debebant, rarô autem braxa-
„ turæ & rei pistoriæ usu deficere necessum erat accessionibus & omni,
„ qui indè sperabatur, fructu, ipsa rei imposuit exigentia, ut quibus
„ possent convenientibus modis & rationibus obstacula hæc remove-
„ rentur. Ne autem innocens hoc & apud æquos rerum æstima-
„ tores nunquam culpabile propositum invidorum & temerè obtre-
„ ctantium incurreret censuram, placuit eâ moderatione uti, ut,
„ quamvis singulis prædictorum locorum Incolis affectatum illum
„ commercandi, & braxaturam cæteraque opificia exercendi, usum
„ inhibere per Jura liceat, solis tamen Montis Episcopalis braxato-
„ ribus & pistoribus, quorum nullus antè finitum ultimum bellum
„ Sveticum in dicto monte usus fuit, nec quisquam habitavit, fru-
„ mentum, braseum, & farinam ad Molendina, & ex Molendinis,
„ quæ extra Civitatem alieno in territorio sita sunt, curribus per
„ portas Civitatis exteriores devehendi facultas denegaretur, indultâ
nihil-

nihilominus pro hoc tempore per conniventiam libertate, ut, si "
vellent, Molendino Civitatis in usus suos præstitis à Civibus præstare "
solitis uterentur. Quod ipsum licet memorati Montis Episcopalis "
Incolæ beneficii reputare loco jure merito debuissent, adeò malè "
tamen ipsos habuisse compertum est, ut non abstinuerint benignis- "
simis Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ auribus malè fundatis obstre- "
pere querelis, adque importunam instantiam Regii Mandati Literas "
Mariæburgi die 28. Mensis Aprilis Anni currentis datas, nobisque "
die 11. Maji insinuatas sub- & obreptitiè impetrare; quarum tenore, "
quasi insolitis oneribus per nos prægraventur, & ad solvendas con- "
tributiones, accisa dictas, adigantur, tùm etiam ad Molendina alia "
præterquam Civitatis, cum frumentis suis proficisci non permittan- "
tur, ac in emendis rebus ac victualibus alibi, quàm in fundis juris- "
dictioni Nostræ subjectis, præpediantur, nos argui, propptereàque "
quatenus ipsos circà usum & possessionem antiquam libertatis profi- "
ciscendi via ordinariâ ad Molendina, ubi illis placitum fuerit, con- "
servemus, in coëmendis rebus in locis melius ipsis visis ac etiam in "
divendendis quibusvis personis, tàm Incolis quàm Advenis, non "
impediamus, neque ad insolita onera adigamus, pro Gratia Regia "
Nobis injungi, haud sine dolore intelleximus. Cùm verò ita com- "
paratum cum his omnibus sit, ut salvâ rei gestæ veritate, salvisq; "
communibus & Civitatis hujus specialibus juribus, subsistere nullâ "
ratione possint, officii nostri exegit debitum ad Sacræ Regiæ Maje- "
statis Vestræ Domini Nostri Clementissimi Justitiæ non minùs quàm "
Gratiæ Thronum confugere, solitóque subjectissimæ Informatio- "
nis beneficiò præjudicia Juribus & Commodis publicis intentata "
omni, quâ par est, diligentia avertere & præcavere. Quod itaque ad "
onera, in specie verò ad Contributiones accisa dictas attinet, quibus "
se gravari Montis Episcopalis Incolæ conqueruntur, nunquam legi- "
timis probare modis poterunt, ullas in hanc usque horam ab ipsis "
contributiones & accisas jussu nostrô exactas fuisse, licet id certum "
sit, evidentibusque jurium manifestorum dispositionibus deduci "
facilè queat, nihil injusti vel iniqui imputari nobis posse, si "
memoratos Incolas ad solutionem contributionum & accisarum, "
communi Ordinum Civitatis placito sancitarum, stringeremus. "

Com-

„ Conſtat etenim, dubioque omni caret, Montem Epiſcopalem ipſâ „ necesſitate & publicæ contrà hoſtiles incurſus defenſionis ratione „ ſvadente, accedentibus tam prioris quàm poſterioris belli Svetici „ temporibus Mandatis Regiis & hortatu Illuſtriſſimi tunc Exercituum „ Regni Ducis, aliorumq; Senatorum, non Civitatis tantùm, ſed ro- „ tius Provinciæ, quin & ipſorum ſubditorum Epiſcopalium bonô „ munitione cinctum fuiſſe. Quod opus pretioſis confectum ſumpti- „ bus tantùm abeſt, ut finitis bellis deſtruere licuerit, quin potiùs in „ caſus futuros in ſuo ſtatu illud conſervare ipſa rei ſvaſerit neces- „ ſitas, & adhuc ſvadeat, Incolis hujus loci eò melioris conditionis „ propterea exiſtentibus, quò totiùs ſub præſidio munimentorum ab „ omni hoſtili inſultu aliisque emunctionibus vitam ſecuri agunt. „ Quid autem æquitati ipſisq; Juris Divini & Naturalis regulis magis „ convenit, quàm ut ii, quibus ſecuritas præſtatur, quique communi „ cum Civibus aliisque intrà easdem Munitiones ſub jurisdictione „ Magiſtratus exiſtentibus protectione & tuitione publicâ fruuntur, „ paria, pro alendis præſidiariis, conſervandis munimentis, ſuble- „ vandisq; publicis neceſſitatibus, onera ſubeant, adq; easdem con- „ tributiones, quas alii eum in finem ſolvere coguntur, pariter ad- „ ſtringantur; Accedit quòd imprimis braxatores & piſtores in Monte „ Epiſcopali habitantes omnis, ſi quæ exigeretur, acciſa concerne- „ ret, hi autem non tantùm contrà aperta jura ibidem foveantur, ſed „ etiam in detrimentum Civitatis ejusque Civium cereviſiam, panes, „ & farinam aliis, quàm ſubditis Epiſcopalibus, vendere præſumant. „ Quemadmodùm enim Civitatem aliquam vel arcem intrà quintum „ ab Urbe Gedanenſi milliare exſtrui nullatenùs debere, diſertis Pri- „ vilegii à Divo Caſimiro *Gedani Dominicâ Cantate Anno 1457.* dati „ verbis, Decretoque D. Sigiſmundi I. Regis *in Conventione Generali* „ *Petricovienſi fer. 6. intra Octavas Conceptionis B. V. Mariæ Anno 1512.* „ inter Magnificum tunc Georgium de Bayſen, Palatinum Mariæbur- „ genſem, & Magiſtratum Gedanenſem lato, ſufficienter cautum eſt: „ ita braxaturam cereviſiæ ad divendendum & propinandum ſolis „ Civibus in Civitatibus competere, tàm manifeſtis publicorum jurium „ probatur diſpoſitionibus, ut in dubium vocari ullum à nemine poſſit.

Vo-

Volunt id antiquissimæ Terrarum Prussiæ sub Magistro Sigfrido “
à Feuchtwangen *An. 1309.* conditæ constitutiones *art. 12. apud Rerum* “
Prussicarum Scriptorem sedulum & accuratum Caspar. Schütz Chro- “
nici Prussici lib. 2. fol. 54. b. nec non Decretum Commissoriale ra- “
tione navigationis in flumine Vistula, & braxaturæ *Elbingæ Sabbatho* “
post Festum S. Laurentii Martyris Ao. 1526. latum, item Statuta sive “
Constitutiones Ordini Equestri à Divo Sigismundo I. *Ged. fer. 3. post* “
Fest. Divis. SS. Apostol. an. 1526. data §. *ad precludendas autem va-* “
rias &c. *apud Janusfbovium Statutor. Regni lib. 7. p. 929.* Consti- “
tutiones pariter Terrarum Prussiæ *in Conventu Generali Graudenti* “
die 6 Octobr. 1537. sancitæ, atq; Confirmatio Privilegiorum Minorum “
Civitatum à Divo Sigismundo III. *Varsav. d. 12. April. Ao. 1593. vers.* “
nimirum quandoquidem braxatio cerevisiæ &c. data, & quampluri- “
mæ Jurium Ordinationes aliæ, quas singulas adducere tœdiosum fo- “
ret. Neq; etiam de pistoribus aliisq; artificibus vel mechanicis salvâ “
veritate aliud asserere licet, cùm illis non permittendam esse in villis “
Civitates adjacentibus habitationem ex Constitutionibus Terrarum “
Prussiæ *Elbingæ 1434. sancitis art. 13.* apud *Schütz. Chron. Prussic. l. 3.* “
fol. 123. b. tùm & Constitutionibus dictarum Terrarum *d. 6. Octobris* “
Ao. 1537. Graudenti factis, earundemq; Confirmatione à Divo Sigis- “
mundo Augusto *Varsav. in Conventione Regni Generali fer. 3. post Fest.* “
Conceptionis B. V. Mariæ proxima Ao. 1556. concessa, Confirmatione “
itidem Privilegiorum Minoribus Civitatibus servientium à Divo Si- “
gismundo III. *Varsav. d. 12. April. 1593. vers. opificum contubernia* &c. “
obtenta, variisq; Statutis & Decretis aliis ad oculum pateat. Quæ “
sanè causa fuit, cur recentioribus temporibus in Conventibus Terra- “
rum Prussiæ generalibus inter Status & Ordines de accisa incolis Vil- “
larum Schottlandt, Montis Episcopalis, Stoltzenberg contrà Jura “
braxationem & propinationem cerevisiæ usurpantibus imponenda, “
non una vice ageretur, testantibus id inter alia actis & Laudo Contri- “
butionis Conventus Generalis *Mariab. d. 19. Dec. Ao. 1652.* nec non “
Conventus ibidem *Mariab. d. 7. Dec. Ao. 1700.* habiti. Cùm enim “
omnis illa braxatio & propinatio cerevisæ, nec non à pistoribus aliis- “
que opificibus attentata opificiorum exercendorum usurpatio eò “
tendat, ut Incolæ Civitatis quotidiè in Montem Episcopal. cæterasq; “

„ Villas Civitatem adjacentes commeënt, & cerevisiâ, pane, farinâ,
„ reliquisq; opificiis utantur, & tàm hi, quàm circumvicini aliiq;, qui
„ aliàs cerevisiam suam, panes, farinam & opera alia, quibus indigent,
„ ex ipsa Civitate empturi & paraturi essent, ad cerevisias istas & opera
„ extra Civitatem comparanda invitentur & divertantur, hôc ipsô au-
„ tem non modò braxatoribus & pistoribus aliisq; opificibus Civitatis
„ lucra & commoda, quæ pro suis operibus & opificiis ad sese à con-
„ civibus suis redundare debebant, jam verò in exteros & peregrinos
„ nocivos transferuntur, præcludantur & intercipiantur, sed etiam æra-
„ rio publico, diminutis hâc ratione, propter minorem cerevisiæ, panis,
„ farinæ, quæ in Civitate parantur, consumptionem, ex accisa tàm
„ polentaria & tonnaria, quàm frumentaria, debitis proventibus, vires
„ ac facultates alendo militi reliquisq; necessitatibus publicis suble-
„ vandis necessariæ subtrahantur & labefactentur, quis non rationi, ju-
„ ri, & æquitati convenientissimum arbitrabitur, quando Magistratus
„ Civitatis tum Civibus & Incolis suis, ne cerevisiam in Monte Episco-
„ pali braxatam aliasq; merces ibidem confectas coëmant, & in Civi-
„ tatem inferant, inhibet, tùm nocivorum illorum braxatorum, pisto-
„ rum, cæterorumq; opificum cum ingenti Civium & Publicæ Rei in-
„ juria & damno quæsitis lucris obviat, hâcque viâ Civium inter sese &
„ communia Civitatis commoda pro virili augere & promovere, in-
„ commoda verò, decrementa, & detrimenta declinare & avertere an-
„ nititur. Atq; hæc etiam rationis juris & æquitatis manifestissima mo-
„ menta calcar addiderunt, ut prætensa illa eundi cum curribus per
„ portas Civitatis exteriores ad Molendina extrà muros Civitatis sita, &
„ ab his redeundi, atq; frumentum, brascum, ac farinam transvehendi
„ licentia Incolis Montis Episcopalis denegaretur. Neq; enim vel ex-
„ cusari vel tolerari amplius potuit, illos, qui pari cum Civibus gaudent
„ tutela & securitate, adeò in publicum ingratos & impudentes esse,
„ ut ne Molendino quidem Civitatis utantur, & quales quales qui indè
„ obvenire possent proventus Civitati, cujus præsidio & defensione,
„ quæ multis sumptibus constant, fruuntur, iniquissimè invideant.
„ Quò ipsô, quemadmodum Magistratus nihil aliud egit, quàm quod
„ juri omninò congruit, Magistratum Cives & intrà Munitiones Civi-
„ tatis habitantes Incolas, publicæ utilitatis causa, compellere posse, ut

tan-

tantùm ad Molendinum Civitatis eant disponentis ita sæpè memo- "
ratos incolas MontisEpiscopalis non habere,de quo jure conqueran- "
tur, precesq; ipsorum ad Sacr. Reg. Majest. Vestram devolutas mani- "
festissima laborare iniquitate, tam evidens est, quàm quod evidentis. "
simum Idem quoq; apertæ injustitiæ & injuriæ vitium incurrit ultimũ "
erorundem Incolarum postulatum,quó liberum emendi ab omnibus "
& vendendi singulis,nulló habitó nec personarũ nec loci discrimine, "
usum adeoq; illimitatam commercia cum quibuscunq; ubivis exer- "
cendi facultatem prætendunt. Præterquàm enim,quòd adductæ su- "
periùs rationes etiam hoc in passu contra ipsos militent, sicuti Jure "
constat, quicquid extra Civitates positum est illud rusticum esse & "
ad rus colendum jure destinatum : Ita Civium Civitates inhabitan "
tium potissimum & proprium semper officium fuit negotiatio & opi- "
ficii professio. Que jure constituta,& tot seculis observata,hominum "
distinctio sanâ ratione eò minus tolli potest, quò magis fœda, iniqua "
& absurda adeoq; detestabilis Urbanarum & Villanarum professionũ "
confusio. NecCivitates existere,multò minus ad splendorem aliquem "
adspirare potuissent, nisi mercimoniorum & opificiorum,quibus uni- "
cè constant Civitates,introductione & amplificatione illud effectum. "
Undè est quòdCivitatibus earumq; Magistratibus omninó licitum sit "
ablatione mercium, si reperiantur ex pagis in Urbem illatæ, aliisq; "
modis impedire ruricularum & villanorum commercia, jureq; pro- "
hibere, ne quis eam ingrediatur, neq; quid in eam inferat quó aucu "
pet, occupet, vel venetur emolumenta, nemini, nisi Civibus à Civi- "
bus suis, per leges licitæ conventionis & societatis debita, tùm & ca- "
vere, ne quis Civium & Incolarum lucra & compendia illa, quæ ex "
mercimoniis & opificiis inCivitate vigentibus in emolumentaCivium "
redigi possent, in alios exteros, hospites & peregrinos debeat deriva "
re vel transferre,aut hos illorum participes reddere. Neq; hæc Jurium "
communium saltem placitis conveniunt, sed & specialibus harum "
Terrarum Legibus firmantur,commercandi facultatem ad solasCivi- "
tates earumq; Cives pertinere, resque vendibiles omnes in Civitates "
ducendas, & in foro publico venales exhibendas esse evincentibus. "
Ita enim cautum vetustissimâ Ordinatione M.Sigfridi de Feuchtwan- "
gen *de An. 1309. artic. 9. & 16.* Constitutionibus pariter Terrar. Prussiæ "

de eodem anno artic. 12. apud Schützium Chron. Pruss. lib. 2. fol. 54. b. item *an. 1434. art. 31. apud eund. fol. 124. a.* nec non Constitut. *Marieburgi Festo S. Martini an. 1529. Tit. De emptione & venditione*, atq; Graudenti *6. Octobr. 1537.* celebratis, tùm & Constitut. Divi Sigism. I. *Cracov. Ao. 1538. fer. 5. post Fest. Nativit. B. V. Mariæ* confirmatis, *5. Cùm etiam mercatores 27. inter Jura Municipalia Terrar. Prussiæ*, ac Pace perpetua inter D. Sigismund. I. Reg. Polon. & Albertum Duc. Prussiæ *Cracov. Dominic. Palm. Ao. 1525.* confecta, *vers. Ceterùm fora in villis contrà fas & antiqvam consvetudinem instituta deinceps ubiq; aboleri, & in Civitates, ad quas spectant, reponi debebunt, inter Privilegia Statuum Ducat. Pruss. fol. 35. a.* Confirmatione quoq; Privileg. Minor. Civitatum D. Sigismundi III. *Varsav. 12. April. Ao. 1593. vers. Mercatura exercendæ facultas* &c. & *vers. Emptiones & venditiones frumentorum aliarumq; rerum quarumcunq;* &c. imò ipsis Legibus Regni & Statuto D. Sigismundi I. *de Ao. 1507.* apud *Herburt. Statut. Reg. Polon. Tit. Fora seu Targi L. Providere volentes indemnitati oppidorum* &c. *p. 172.* & *Tit. Ulna p. 522.* plurimisq; Laudis in Conventibus Terrar. Pruss. Generalibus propterea sancitis. Quibus inhœrendo dum nullum ruri & in villis habitantem terrâ nascentia, aut alia, quæ tellus profert, dona ad Civitatem devehere, afferre, & Civibus distrahere, indeq; victui & amictui commoda à Civibus comparare, revehere, aut secum exportare prohibemus, illos verò pagorum inhabitatores, qui, neglectis vocationis limitibus, aut operis mechanicis aut mercimoniis operam dare, Civibusq; commoda præripere volunt, ne id impunè facere ipsis liceat, per Plebiscita Civitatis in præscripto Jurium hatum Terrar. & Civitatis peculiarium fundata arcemus, id sedulò agimus, quod summam cùm æquitatis tùm utilitatis habet rationem, ne qui Cives non sunt Civium commoditatibus cum horum damno & injuria utantur, & in sua, quâ eos Deus collocavit, statione segnius gerentes, alienisq; functionibus sese ingerentes, publicæ privatæq; rei officiant, quodq; adeò ad universæ Civitatis incrementa & Civium singulorum emolumenta, tùm ad tuendam publicorum jurium authoritatem alligata jurisjurandi Religio creditur quàm intentissimè efflagitare. Neque montis Episcopalis Incolæ, & quicunq; alii, vel prætextu libertatis naturalis, quasi per

eam

eam unicuiq; liceat in re sua agere quod libet, vel ullâ prætensâ con- " svetudine contra hactenus adducta tueri se ullò modò possunt. Quan- " tum enim ad prius attinet, extra controversiam positùm est, quòd " non solùm faciendi in suo quodlibet facultas cesset, quandò factum " intenditur, extenditur, & porrigitur aut cedit in alterius detrimen- " tum, aut utilitatem loci ac fructuum & redituum vicino præripit vel " impedit, sed & naturalis illa libertas locum non habeat in illis, quæ " ab alio sine injuriâ positivè jam occupata & possessa sunt, quale est il- " lud jus Civitatum, ut omnia ipsis damnosa commercia sint prohibita, " quò facilius sit inter Cives negotiatores, artifices, opifices emendi " vendendiq; commercium, proindeq; injuriâ fiant omnes contra oc- " cupationem, possessionem, & prohibitionem hanc molitiones & " machinationes. Quod verò jactatam consvetudinem concernit, si- " cuti Incolæ Montis Episcopalis ea, quæ nunc prætendunt, sibi ullò " tempore in Civitate hac indulta & concessa fuisse nunquam legitimè " evincent, ita Contradictiones, impugnationes & animadversiones " perpetuæ, quæ ex parte Civitatis contra affectantes talia intercesse- " runt, ipsisque memoratorum Incolarum aliorumq; repetitis toties, " licet iniquè & indebitè, querelis sufficienter probantur, omnem con- " svetudinis contrariæ prætextum, quæ insuper etiam, pariter & præ- " scriptio vel privilegium, adversùs utilitatem publicam non valeret, " nec in eis obtineret, quibus obstat juris communis & publici prohibi- " tio, cùm in talibus cessio & renunciatio juris credi nequeat, proinde- " que actus isti, ex quibus consvetudo inferri vult, assensu Civitatis " comprobatorio destituuntur, enervant & evertunt. Ceterùm cum " ex adductis evidentissimè liqueat, importunas Incolarum Montis " Episcopalis instantias in summum Jurium Provinciæ & Civitatis hujus " præjudicium, nec minus publicæ rei, plurimorumq; Civium detri- " mentum vergere, nobis verò pro religione & fide muneris, quod su- " stinemus, in id sedulò omni tempore incumbere necessum sit, quò & " Jurium vigori & Civitatis graviter hactenùs afflictæ incolumitati & " commodis in universum, & singulatim Civium nostrorum honestis " favores ac utilitates conquirendi rationibus quàm optimè consula- " mus: proindè S. R. M. Vestram subjectissimis precibus rogamus, di- " gnetur humillimæ Informationis nostræ benignissimam habere ratio- "

„ nem, atq; ab observantia insinuati Rescripti clementissimè absolutis
„ eam confirmare fiduciam, quâ hactenus crediderunt, S.R.M. Vestram
„ Civitatem hanc in omnibus fortunatam, atq; exindè quodlibet ju-
„ rium, indemnitatum, & emolumentorum naufragium quàm procul
„ esse, clementissimè velle. Id quod sicuti Illustrissim. & Reverendiss.
„ Domin. Episcopum Vladislaviensem & Pomeraniæ, loci hujus Ordi-
„ narium, cui salva in omnibus Jurisdictio in Montis sæpè dicti inco-
„ las, salviq; reditus omnes & fuerunt, & imposterum erunt, suo appro-
„ baturum suffragio celebrata ejus in omne justum & æqvum propen-
„ sio non minùs, quàm cum malis & calamitatibus, quæ Civitatem hanc
„ affligunt & premunt, æquanimis commiseratio sperare nos jubet: ita
„ quantum demerendæ magis magisq; S.R.M. Vestræ Gratiæ atq; Cle-
„ mentiæ studeamus, non minori subjectissimæ venerationis, ac fidei
„ semper inviolatæ, indubitatâ significatione sedulò probare, constan-
„ tissimè porrò annitemur; Supremum Numen, quod superest, devo-
„ tissimè implorantes, ut S. R. M. Vestræ Imperium quietum & secu-
„ rum, prosperam valetudinem, perpetuaq; omnis, quæ votis concipi
„ potest, felicitatis incrementa exuberanter largiatur. Dab. Gedani
„ die 28. Junii Anno 1703.

Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ
Domini nostri Clementissimi

humillimi & fideles subditi
Præ-Consules & Consules
Civitatis Gedanensis.

XX.

Ad Epistol. XC. pag. 658. seq. Copia Literarum Serenissimi Czari Moscoviæ ad Civitatem Gedanensem Mense Julio Anno 1705.

Literæ Czareæ Majestatis Epistolæ huic 90. annexæ cum exemplari Germanico, quod unà cum Originali Ruthenicâ linguâ scripto Magistratui Gedanensi die 12. Augusti Anno 1705. oblatum fuit, non concordant. Responsum autem ad insinuatas â Magistratu datum sonat ut sequitur:

Sere-

Sereniſſima ac Potentiſſima Czarea Majeſtas, Domine Clementisſime:

INfelicitas temporum, cum qua abditô DEI judiciô luctari hactenus Inclytum Poloniæ Regnum vidit & miratus eſt Orbis, quantis Civitatem hanc adverſitatum & ſortis calamitoſiſſimæ involverit perplexitatibus notius eſt, quàm ut multis verborum ambagibus explicare ſit neceſſum. Quodſi Fata divertere conſiliis eorumq; avertere inclementiam humanæ fuiſſet facultatis, concors ſane ſtudia in æquas partes inclinantium teſtaretur approbatio, nihil intentatum reliquiſſe Ordines Civitatis iſtius, quod fini huic obtinendo conducere ullâ ratione potuit. Poſtquam verò inflexibilem fortunæ declinare obſtinationem & imperioſæ ponere obices neceſſitati viribus noſtris fuit denegatum, nihil aliud nobis & Civitati univerſæ ſibi ſoli relictæ manſit reliqvum, quàm ut, ubi tempeſtates erumpentes & erupturas diſpellere non dabatur, res ſaltem noſtras quibuscunq; fieri poſſet modis in tutum ſubducere rationis crederemus. Inter quæ ſicuti de Sereniſſimæ Czareæ Majeſtat. Veſtræ celebratiſſima Gratia eam ſemper optimæ ſpei concepimus fiduciam, tantùm abeſſe, ut Sereniſſ. Czarea Maj. Veſtra quibusvis malè nobis cupientium & ſiniſtrè informatorum relationibus adhibere fidem, atq; afflictæ Civitatis hujus extremâ naturare fata quâcunq; ratione induxerit in animum, quin potiùs eam Reipublicæ Polonæ, cujus membrum ipſa eſt, poſt reddita Divinô beneficiô tranquillitatis publicæ ſolatia, ſalvam ſervari benigniſſimè cupiat: ita porrò in votis aſſiduè habebimus, ut Clementiſſ. Sereniſſ. Czareæ Majeſt. Veſtræ Gratia, quam modis, quibus par eſt, ſubmiſſisſimis exoramus, perpetuùm Nobis frui liceat. Atq; hæc ſunt quæ ad Sereniſſ. Czaream Majeſt. Veſtram haud ita pridem debitâ cum veneratione receptas Literas humillimô ſtudio exponere officiorum noſtrorum eſſe duximus. Quod ſupereſt, Noſtris & diſtractæ laceratæq; Reipublicæ Polonæ malis indeſinenter ingemiſcentes, Supremum conſiliorum & rerum omnium Arbitrum ac Moderatorem DEum devotiſſimis precibus imploramus, ut, quibus humana prudentia ullis hominum conſiliis providere hactenus non potuit, Ipſe Divinâ Potentiâ ſuâ tandem conficiat, eamq; temporum reſtituat benigniſſimè felicitatem, quâ univerſis & ſingulis ſolidæ pacis dulcedine recreatis antiquarum libertatum & quietis deſideratisſimæ optato fructu gaudere ex integro & frui ſine interruptione concedatur;

Adhæc

Adhac Serenissim. Czaream Majest. Vestram omnipotenti dextra, constanti autem Serenissima Czarea Maj. Vestra Clementia Nos & Civitatem hanc universam enixissimè commendantes. Dab. Gedani d. 24. Sept. An. 1705.

Atque hæc,

GENEROSE DOMINE ET FRATER,

ad præsens Tecum communicasse sufficiat. Sunt quidem & alia, interq; hæc, quæ *Epistola CX. p.662.* sub Tit. *Tractatus Regis Prussiæ cum Gedanensibus Mense Augusto Ao. 1705.* (de quo *ut sit verus* optimò jure dubitasse Celsissimum Principem ipsa res docuit) Item *Epistola CXXVI. pag.864.* Tit. *Informatio de Stromgeld Regiomontano, aliàs de Teloneo in fluminibus ab Electore Brandenburgico imposito,* nec non *Epistol.CXXIIX. pag.871.* sub Tit. *Modus restituendæ in antiqvum statum Provinciæ Prussiæ, tum etiam eliberandæ à Stativis, Recrutis, Transitibus, ac aliis vexationibus Exercitûs Reipublicæ* annectuntur, tùm quoq; *in Epist.CXXXIII. p. 899. de negotio*, ut verba sonant, *cum Gedano per Commissionem judicando* &c. habentur, de quibus singulis plura dici, moneri etiam nonnulla, possent. Verùm, cùm urceolum meditanti amphora sub finem jam nata sit, atque ex adductis etiam plus satis constet, quantam Jura & Immunitates Terrarum & Civitatum Prussiæ passa sint adhæc & patiantur convulsionem, cui medendæ, postquàm plurimi jam didicerunt mordere frœnum, & si qui sunt, quibus id dolet, solam retinent tacendi libertatem, vix aliqua spes superest, finienda nunc tandem modum ferè excedens Epistola, ac quæ restant commodiori tempori & occasioni reservanda. Intereà DEum precatus, non quidem ut nihil unquam adversi accidat, (id enim Divinæ Gubernationis ratio non permittit) sed ut, si quid acciderit, id sapiente usu reddatur salutare, omni studio gestor, quòd sim

GENEROSÆ DOMINATIONIS TUÆ



addictissimus Frater & devotus ad officia Servitor

Scribeb. domi meæ Calend. Sept. Anno 1711.

G. S. L.